



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm
Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Decas Prima

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1617

Liber Septimvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11209



**I O S E P H I
R I P A M O N T I I
EX DOCTORIBVS
COLLEGII AMBROSIANI
HISTOR. ECCL. MEDIOL.
L I B E R S E P T I M V S.**

VSEBIVS Ecclesia liberata consti-
tutaq. religione, dare pudicos mores
Vrbi , dare disciplinam conabatur ,
quæ perturbatione temporum amif-
fa , facile reuocari non poterat , ob-
externę consuetudinis reliquias ma-
nente luxus dulcedine , subeunte animos licentia , cui
per tot annos infueuerat Ciuitas , haud vnquam dura-
satis aduersus delitias , & voluptates nativa gentium om-
nium venena . Sed & otium primò , deinde spatium vitæ
defuit Pontifici , quantum is conatus , & ea suscepta cu-
ra postularet . Cùm enim defuncto per id tempus Leo-
ne , Romanam Ecclesiam Hilarus occepisset , natalemq.
noui .

noui Pontificis diem ab Episcopis oporteret celebrari tradito quodam more, vadendum Romam Eusebio cū cæteris ad illud solenne sacrum fuit; voluitq; dein Hilarius occasione conuentus eiusmodi, communicare cū Patribus grauia multa, & controuersa, de quibus consideretur ex Hispania, & Galia per litteras, & legatos, scilicet, vt ex cōmuni eorū sententia decerneret, quæ supra ma potuerāt ipsius authoritate decerni. Ita Synodus habita nihil in Ecclesiæ suæ rebus agentē aliquādiu Romæ te nuit Eusebium, eaq; Pontificis peregrinatione desolati Mediolanenses in illo animorum habitu perseverauere, donec rediret. Reuersus Epiphanium Ticinensem initiat Pōtificatu, repetit incepta, nec diu suspes fuit. Eusebio defuncto Noua clades Mediolanensē Ecclesiā affixit, superiorum temporum cladibus pæne par, vtiq; si furem hostium, rerumq; motus estimes, ceterū spatio temporis minor. Amali, fera gens, quos prædæ spes, & solita barbaris mobilitas concuerat, parta iam pace liberam, & solutam Italiam inuasere duce Vindemiro, cui studium desæuire per lasciuiam in sacra, & ex clericorum iniurijs atque de honestamentis dira voluptas erat. Ita quicquid ab Eusebio prouisum atque constitutum, id omne vanum atque irritum fuit. Inuoluit ea temporum caligo Geruntium Eusebij successorē, vt cùm nihil ab Episcopo per ea mala posset fieri, ne facta quidem extent. Et prosequitur eum memoria, tanquam coactum, cùm inter cupientes, & minores ipse suffectorus abnueret. Eo sedente, Ricimer, qui Anthemij Cæsaris filiam habebat in matrimonio, Mediolanum venit, afflictæ suæ fortunæ misericordiam ibi & vite perfugium

fugium querens. Moverat is forte suspicio rem Socero, quasi regijs nuptijs elatus immineret Imperio, iamq. testibus, & indicijs arguebatur. Inde scilicet fuga, & exsulium, ac nisi principis iræ spatiū dedisset, petebatur ad necem. Mediolani non latebras modò, & faciles ad regendum animos, sed periculi quoq. deprecatorē, & authorem salutis inuenit. Epiphanius fuit, quē ab Eusebio paulò antea consecratum memoriaui, magna in vulgus gratia, & magno nomine, tamquam non sanctitate vitæ potiorem quempiam, tractandis ue regū ingenijs aptiorem illa ætas haberet. Is profugi Ricimeris casum insita lenitate miseratus, Romam ad Anthemium proficiscitur precesq. defert ipsius exsulis, & suas; humano lapsum errore, & annisurum in posterū. ut offensionem illam emendet obsequio ac fide. Nominē Ricimeris hæc, & alia, quæ in memoriam annalium haud peruenere. versus inde in artes, & delinimenta, quæ secum ipse fuerat meditatus; clementiæ cælestis exemplum, & quantò pulchrius sit ignouisse, quam perdere, simul filiæ viduitatem, ac solitudinem, & clariſſimæ domus excidium, si Ricimer perimeretur, memorat. orat ad extremum, ne sub tutela Mediolanensis Ecclesiæ reus violetur. Quippe confugisse illuc supplicem, & afflictum, & egentem omnium rerum. Daret Ciuitatis fidissimæ precibus, & parenti urbis Ambrosio, ne legationem eam adsperrnaretur. Abnuebat primò Cæsar, & contra ea, rebellem, atq. contumacem hominis animū, ingenium insanabile, moxq. reddituras artes, & perfida machinamenta iaciebat. Demum ubi preces iterabat Epiphanius, & suam quoq. interponebat fidem, victus

III est

est, ut rogaridesineret ac negare. Quam Sancte testatus Deum & superos, dare se id Ambrosiani nominis gloriæ, ac Epiphanio deprecatori, Ricimeri salutem & incolumitatem admodum tamen grauate concessit. Parū postea felix fuit, aut sua lenitas Anthemio, aut deprecatori sua data fides. Receptus in pristinæ gratiæ locum infidus gener anni vix interposito spatio, socero necem machinatur. Nec ipse diuinæ iustitiæ telum vitavit, quadragesimo post scelus die peremptus. Totum hoc de fuga Ricimeris, ac Epiphanij legatione contigit, cum Eusebio mortuo Geruntius rem Mediolanensem pñè ab inuito suscepit administraret. Geruntius anno sexto sui muneric decessit: in Basilica Diui Simpliciani, est sepultus. Ibi condiderat ipse Marolum, Glycerium, Lazarum, cum obscuriorum antea tumulum essent nacti. Post Geruntium, cum in locum ipsius peterent gratiis pariter & digni, Benignus est antelatus e nobilitate Mediolanensi, gentis Bentiae, cui tum primùm genti sapientiæ studia, & pacis artes gloriam inuenere. Antea claruerant armis, ab Iacobo Principe familie initio facto, quod virbis fortuna per grauissima tempora subsidium habuerat. Postea secuti sunt alij aucti decoris accumulatione, vel instinctu suo; sed perdiu neutrise a gloria, quam Iacobus tulerat. Inter Gothica mala pares fuere, multosq. tunc habuit familia, quos veluti regenerasse Iacobus diceretur; adeò bellica virtus, & Martiale robur enituit. Diuersa Benigno morum via, & contraria maiorum institutis. Namq. ut primùm adoleuit, Studiorum causa Romam profectus breui perfecit, ut principibus Vrbis cum admiratione carus acceptusq. esset, ob

ob litterarum & ingenij gloriam. Sed candor, & innocentia, longe maiorem gloriam, & decus addidere iuueni. Itaq; postquam obitu Gerontij caruerant Pastore Mediolanenses, hic statim est suffectus. Benigno sedente, Barnabæ corpus est inuentum euentu mirifico quem exponemus. Græcia semper auida turbarum fuit, neq; gentium vlla, plura dissidia, grauiores tumultus conciuit vtiq; cum Imperium ibi, & pars rerum staret. Zenone imperante forte vehementius exarsere turbulentis ingenij homines, Ecclesiæq; principatum, Ciuitates alie cum vindicarent, aliæ tuebantur, ac retinebant. Et ferme ita cadebat, vti pars deterior meliorem vinceret, & qui plus iuris præferebant, ab validis, & iniurijs hominibus opprimerentur. Duces partium, & capita rerum erant, Anthemius, & Petrus, ille Cypri Pontifex, hic Antiochij, sanus alter, & incorruptus, & pro Catholica sinceraq; fide; stabat alter ab Arianis, quod genus ex occidentali pulsum Ecclesia, migrauerat in Græciam, & illuc in turbarum atq; seditionum regno fractas suas accisafq; vires exercebant. Igitur Arianus (cognomēto Fullonem appellabant) ardens incredibili studio Sectam vt amplificaret, atq; vt adigeret in ea mendacia, & portenta quamplurimos; trahere Cypriam Ecclesiam in potestatem Antiochenæ, clarissimæq; finibus Insulæ dispersos populos facere sui iuris ac dominatus intēdit. Id si contigisset, facile putabat fore, vti tota primò Cyprus, deinde ceteræ vribes, ac prouinciae passim in dogma concederent Arianum, atq; per eam iniuriam Catholicum ipse veluti nomen triumpharet. Erat is præter corruptę religionis vitium acer homo ac violentus,

Iii 2 facileq.

facileque disceptando, & agendo perturbare quemlibet poterat. Anthemio contrà mite ingenium, placidissimi mores, & qui mallet decedere suo iure, per lenitatem, & patientiam, quām certare temeritate, pugnare verbis, & obturbare turbanti. Accidit aliquando, Constantinopolim uti citaretur, ad dicendam causam tamquam arbitrio, & auctoritate Zenonis principis finienda, & dijudicanda lis foret. Tunc viro tantus injectus est terror, tantæq. difficultates obortæ reputant tenuitatem suam, & vim aduersariorum, ut neq. profici scendi viam explicare posset, neq. manendi rationem inueniret. Si cunctaretur ire, prædamnare semet, atq. vltro cedere possessione videretur; eunti, Fullonis violentia, & iniqua per eam, atq. infida omnia erant in periculo, ac metu. Prorsus inerat animo cura, & mœror, tædio præsentium instantiumq. malorum angebat. Tunc ei, silentio noctis intempestæ lēta species oblata; Pontifex lumine beatissimo circumfusus, & sacrificali decōrus habitu, cuius verba in hunc modum fuere. Ne vim timueris inimicā Anthemi, neue desponderis animū; ire te, ac redire victorem oportet. Hæc locutus abiit sublimis. Inde cura maior Anthemio, quodque leuandæ fuerat sollicitudini, id ipsum onerabat mœrorem; insidiosa spectra, Dæmonum fallacias anxius reputabat. Vereri simplex animus, ne scilicet ignominia, & exitium portenderetur hoc viso, idque ex contrario funestum, atq; calamitosum interpretari. Rursum ambigere, ne si cælestis, atq; diuinitus immissa species foret, cunctando, & diffidendo, Numen offenderet, atq. quoniam sperare

lēta

Ieta nesciret, aduersa mereretur. Ita suspicione fluctuat^{ur} ancipi. vertit eò, vt si repetitis vicibus iterum atquè tertio, species eadem obuersaretur, cōquiesceret animo & victoriæ certus gloriosum pro Ecclesiæ suæ dignitate certamen capeſſeret. Nuncupat vota preces instaurat, & vt lectulo fortè decumbebat reclinis, connixus in genua ſic tacitus inſit. Deus optimè maxime; ſi fas eſt Ecclesiā hanc, cui præſum, iniurijs, & calumniæ ſuperſtitē eſſe, vt viſum illud, quod modò mihi eſt oblatum, in tertiam, vſq. vicem remittatur. Tunc ego tuam præſentem opem rebus adesse noſtris credam. Inde veluti ſenſiſſet auditas preces, nuntiam futuri viſionem expeſtabat, que fraudem aperiret, aut adſirmaret vera ſeram venire noſcum ratus. Cūm inſecutum diem procul ab hominum cætu meditabundus exegiſſet, vbi tenebræ, & hora ſtata quietis adſuit, dat ſe ſe de more ſopori, que, vti par eſt credere, ſuſpensi ſenſus diuino magis immissu, quām naturalem in modum excepere. Sopitum Anthemium imago eadem pepulit; Sed verba placidæ nonnihil ſeueritatis habuere. Quin crederet ſemel dicta, & ad firmata, quin exuta triftitia paratum ad certamen accingeretur; Ab ea quiete minus iam, & minus dubitabat anthistes Anthemius; tertias tamen velut ex condicto vices expeſtabat, vltimosq. de cœlo monitus opperiebatur. Neq. expeſtationem euentus ſefellit. Pari noctis articulo par forma circumfulſit; hæc dicta velut ab increpante. Abrumperet moras iam tandem incredulitatemque panderet ſinum cœleſti beneficio, neque diuina signa vltrā iam improba ſuspicione violaret. Is dubitandi finis Anthemio, conceptaque repente

pente fiducia venerabundus rogit adstantem, ut aug-
stum suum edere nomen, seq. præbere adgnoscendum
velit. Ad ea cælestis anima, se Christi discipulum esse
Barnabam nomine, expeditionis Euangelicæ comitem
Paulo, & conuersioni gentium vna cum eo sepofitum ac
destinatum. Quòd si diffideret adhuc, & memorari va-
na suspicaretur, certam hanc acciperet, experimentoq;
facilem notam. Esse locum distantem ab vrbe Salami-
na, stadia in occidentem quinque, qui locus ob crebra
miracula, bonæ valetudinis appelletur. iret illuc, & quā
siliqua patulis diffusa ramis latè campum opacaret, ibi
moliretur humum; arcam, & humānum in ea corpus in-
uenturum vna cum scripto Codice. Eam suam ipsius es-
se mortalitatem, & Euangelicam simul historiam, quam
ab Diuo Matthæo dictatam sua ipse descripserit manu,
hæc, & visioni fidem, & causæ firmamentum allatura.
Nam, cùm ab aduersarijs, & ab infestissimo præsertim
Fullone petatur hoc super omnia telo, quòd auctoritas
Apostolica sit Antiochiæ, quæ res primi loci dignitatem
contineat, posse ipsum id retorquere, & eodem nomine
ac obtentu vindicare quem illi turbide ac tumultuosc
principatum usurpent. Sub hæc dicta, desijt Barnabas
apparere; simul Anthemius euigilauit, Deumq. pie est
veneratus. At statim vt diluxit, vocato Clero, & popu-
lo, qui patiebatur admodum ægre circumueniri ac op-
primi præcipua sanctitate Pontificem, & Ecclesiam, quæ
nulli tota Græcia secunda esset, quæ viderit, quæq. au-
dierit, refert. Stat sententia sequi nocturnæ imaginis in-
dicium, & quidnam illud reisit, ex periri. Composito mox
agmine, suis quiq. ordines insignibus velati non sine cru-
cis

cis vexillo supplicantes in monstratam agri partem procedunt pleni bona spe, pleni pio quodam horrore. Postquam eò est peruentum, effusus in preces Anthemius, & cætera in illius exemplum nixa genibus multitudo, diuinam pacem, & ut si sacrum solum aperire liceat, exposcunt. Glebae statim euolutæ rastellis nudauere lapideū septum, quo disiecto, loculus apparuit hominis diuini mortaleis exsuuias amplexus. Indicio fuit odor fragrans, & Euangeliō reperto, congruenteis ad ipsius Barnabæ prædictionem note. Postquam Apostolici artus emicuere, conglobant sese illuc omneis, & cœlestē pignus usurpare pro se quisq. oculis auet; reuerentia contactum, & statim adpositi custodes arcebant. Vbi, contemplandi, & adorandi, non satietas quidem, sed modus est factus; plumbeis laminis confibulatur, & obsignatur arca, & quæsitæ religionis viri ea in statione collocātur, excubias illic agere, atq. alternare choros iussi, donec sua cæmeronia loco propriusq. cultus expediretur. Interēa cum Petto Fullone congredi parat Anthemius, & præcepta victoriæ spe Constantinopolim impavidus proficiscitur. Conuenerant illuc ex vniuersa Græcia sapientissimi Patrum, queis arbitrium eius controuersiæ delegauerat Imperator, & cognitionem vna res morabatur, quod nondum adesset Anthemius, nec illo absente ritè decidi posse causam putabant. Postquam adfuit, nuntiatur Imperatori, & ille; cognoscerent igitur, & auditis ac pensatis vtrinq. rationibus statuerent decora ipsi, ad Ecclesiæ tranquillitatem opportuna. Primo nihil suspicabantur minus, quam id quod authoritate miraculi, & ipsius sententia Numinis futurum erat, Anthemiuq.
dam-

damnantes tacitis animorum sensibus, Fulloni causam adiudicabant. Ut quisq. sana, vel corrupta religione, in hunc, aut in illum pronus, mærebant, aut lætabantur. Quippe spirans impietatem Antiochenus, cæterum obtendens iusta, & in speciem ornata verbis, vnica ratione ac momento, sicut ipsi rebantur, simplicē inermemq; Cyprium erat profligaturus, si Apostolica primordia sibi originemq. ab ipso Apostolorum principe ductam obiecisset. Neq. enim ambiguum ex eo ius in cæteras Ecclesiæ, quæ tituli, ac nominis eius authoritate nō pollerent. His animis, & hoc modo præiudicata causa itur in concilium. Ut consedere, dicendiq. potestas est facta reis, plenus confidetiæ Fullo, vana & nullum factura momenum orditur. Regere se decoram Apostolicis initijs Ecclesiæ, ideoq. principatum, & imperium in reliquas prouincias vindicare, repeteret ius antiquum, ipsos verò patres monere, ne semel usurpata concedendo, & firmando, dissoluant ea facilitate placita maiorum saluberrimamq. descriptionem inueterati juris. Hęc, & alia ferociter ab Antiocheno iactata, silentio, vel murmure, quale esse fauentium solet, accipiebantur, cùm vicissim exsurgens Anthemius nocturnæ suæ quietis ordinem, atq. seriem, & successum vniuersum exponit. Notus fama probibatis erat Anthemius antiqui. mores illius facile poterant carere suspicione mendacij. Itaq. statim commoti sunt, etiam si quos antea praui sensus, & obstinata studia trahebant in diuersum. Zeno, sicuti dictum est, imperabat apud Orientem varia fortuna catholicæ rei, & prout ab integris, aut corruptis ageretur, fauore pronus, aut infensus odio. Is audita re curiosius interrogat

rogat Anthemium, quæ forma, qui habitus inuenti corporis, quæ facies & positio, & cùm ordine ab Anthemio referrentur omnia, sacriq. corporis argumento decus Apostolicum assereretur Cyprio nomini, haud est cunctatus, quominus Ecclesiam illam esse sui iuris, nec alteri contribuendam pronuntiaret. Idem rogati sententiam Patres adfirmauere. Increpat deinde Fullonem princeps graui conuicio contumacem seditionis, & furore suo quietem solicitantem alienam; facesset ex conspectu non latus impune, si quid ex eo die turbarum cōciret, ac nisi Cypriam Ecclesiam sineret esse in tuto ac trāquillo, & in ea libertate, quæ tam præclara testificatione diuinitus esset vindicata. Neq. hic honoris in Anthemiū, in Fullonem contumeliae finis principi. Siquidem Apostoli decora, & laudes extollere palam, fortunatum ac beatum dicere, quem ille colloquio, & adspectu suo dignatus fuisset, inclitam Ecclesiam, quæ tales Patronū, felicem terram, quæ tale pignus haberet, sacrilegos, & consceleratos, qui cælestia iura, & Apostolico nomine sanctos honores intercipere essent conati. His dictis haud minus honorifica facta, & significationes erga Barnabam pietatis adiecit, deditq. pecuniam Anthemio discendentī, qua locaretur ædes eo ipso in loco regium in morem extruenda, quo reliquiæ Sacri corporis inuentæ. De Barnabæ reliquijs hæc retuli non omittenda propter variatam eius rei memoriam, & quia conditor nostri Barnabas poscere hoc officium videbatur. Sic agnitiæ, sic inuentæ, postea Benigno conceduntur Archiepiscopo Mediolanensi, ob inclitam eius viam atq. sanctitatē, & yti conderentur ac sequarentur in ea viba, quæ veluti

K kk foror

soror, & consanguinea Cyprij nominis, cōtra sacrilegos
inuidorum conatus firmior atq. tutior esset. Ea fors Be-
nigni rerum, & actionum, omnem superiorum Pontifi-
cum equasse gloriam, & splendorem est visa, neq. alia
res ipsius memoratur. Benigno mortuo Senator Septa-
lia rem Ambrosianam excepit, clarus vir miraculo litte-
rarum, clarius sanctitate credita, quam ipsam altitudine
animi, & singularibus rerum gerendarum adiumentis
nobilitauit. Distrahitur hic Septalios inter, & Villanios
contentione non leui. Nobis, quam obrem Septalijs eum
potius quam Villanis adiudicaremus, proposita hęc fue-
re. Basilica Euphemiana Mediolani est ea vrbis regio-
ne, quam Ludouicus Sfortia suo nomine nobilitatam
relicuit. Ibi, & sepulcrum ipse sibi legit Senator, & pe-
cuniæ summam legavit, ex qua pauperibus quotannis
fieret benigne, manetq. hodie liberalitas & institutū, ar-
bitra societate, quæ societas Diui Senatoris appellatur.
Duodeni pauperes ab innocentia, & præcipuo squalo-
re deleati donantur singulis vestimentis, antiquęq. sor-
des eorum repentinis munditijs, ac subito nitore mu-
tantur. Basilicam quoq; ipsam ab ipsomet extructam
Senatore tenet fama, quippe cùm ab Chalcedonensi le-
gatione Concilioq. reuersus, ob miraculi magnitudinem
de quo memorauimus antea, virginis illius nomen pre-
cipua quadam religione prosequeretur. Iam igitur, cùm
Septalia gens, quam alij Septariensem appellauere, late
polleret opibus, & autoritate, quā regionis eius hodie
noscitantur fines, atq. adeò pars illa, quæ ab Diui Vi-
ctoris æde, ad ipsam usq. cognominem Ludouieo Sfortiæ
portam excurrit, ipsius nomine gentis appellaretur,
haud.

haud abhorret à vero , maximeq. consentaneum est,
Senatorem, ibi potissimum , & arcam templo Virginis
illius , & sibi sepulturæ locum elegisse, vbi domus auita
vbi natales , vbi primæ ætatis rudimenta contigissent.
Ad cōiecturam eiusmodi quia congruunt inscriptiones,
& monumenta familiæ, simul Ecclesiæ consensus, & pro-
pe fauor vrbis, Senatorem haud ego veritus fuerim Sep-
talium siue Septariensem affirmare. Simplicius eum præ-
fecit Ecclesiæ Mediolanensi per varia rerum experimēta
probatū antea satis, & spectatum. Alij pro Simplicio Ge-
lasium dicunt, euidēti in historiæ fidem iniuria, tempora,
& homines, & res ipsas, & semet implicantes, Nam Ge-
lasius non antea noscitur inter Ecclesiæ principes, quā
nonagesimo secundo post quadrageſimū anno .
Septalius autem ante tertiumdecimum annum Episco-
pus factus vigiliæ triennium haud excessit. Sed hunc er-
orem , Pauiniij pudēdus error ex comparatione leuem
facit. Oblitus quippe superiorum Pontificum , Eusebij
videlicet, Geruntij & Benigni longissime tempus exten-
dit Senatoris, quæ priorum ætas fuerat, eam in posterio-
rem hunc vocando & ferendo. Hæc adeò variata sentē-
tijs, pugnantia , & diuersa, sunt vtiq. simillima tenebris
ac obscuræ nocti, quæ de Pontificatu tanti viri, deq. tem-
poris huius rebus, nihil aliud ad nostram ætatem, præter
ipsas controvērſias, & veluti scriptorum iurgia conten-
tionesq. transmisit. Ingruerant enim rursus barbari ,
ac sicuti clavo truditur clavis, ita nobis, alij per hos an-
nos ex alijs dominatus incessere , tunc rerum , nunc hi-
storiæ clades; nec Mediolanensi tantum Ecclesiæ, sed or-
bi passim vniuerso commune malum infana principum

Kkk 2 reli-

religio, ferox animus, nihil ex ciuili. Gallie distracte Ariani inter, & cultores Idolorum; Hispania Gothos, Africa Gensericum habebat, nobis imperitare cœperat Odoacer, inducta in Italiam Erulorum multitadine; quod genus per septendecim annos hic regnauit, donec Theodericus inualesceret. Ea videlicet est causa, quamobrem obscurum toties æuum, otiosos Episcopos, nuda nomina, res incertas, & in turbarum termino turbas identidem excusemus. Senatori Septalio succedit Theodus Medicæus, quem ex Gelasij familia processisse quidam tradunt. Processit autem potius ab Felice primo, qui cum hunc populo Mediolanensi Pastorem daret, præter alia, queis sibi carum, & probatum honestauit, indulxit hoc quoq. tota Diœcesi decumas exigere, in id ipsum obnoxia bona ciuiū habere. Ita Ecclesia Mediolanensis angustiae tūc primū sunt laxatae, cœpitq. liberalior cultus ille, quo nūc ea multis alijs antecellit. Nam principio rerum Ecclesiasticarum, inopia proditiis, pro splendore paupertas erat, Apostoliciq. mores egestati honorem faciebant. Viuere in diem ipsam adspernari vitam, lacerari probris, oppetere ferro, decorā, & augusta pontificum erant. Qui per ea Pontifratum gessisset, is demum excelsus, atq. præclarus habebatur. Nec sancte postea quisquam opulentia & fastu, tantam gloriam est adeptus, quantam obtinuit ille castus omnia contemnendo, & nihil habendo. Sed quia, rerum hominumq. varietate iam siebat, ut illæ angustie definerent esse utiles, & gloriose, iamq. diuersa priorum temporum institutis etas diuersam Ecclesiæ formâ postulabat, exorta est impulsu diuino pia liberalitas Constantini,

tini; quæ magnas diuitias, magnum splendorem, & Romanæ faceret parenti, & ab ea, velut à capite, in cæteræ membra partesq. diffunderet. Tunc speciem pontificiæ maiestatis, & virtutis, & cultu sacrifici minores usurpare cœperunt. Tunc vñà cum opibus increscente necessitate, nouæ pecuniaæ viæ sunt inuentæ, queis recepta semel, & usurpata ratio dignitatis equabili tenore continuaretur. Et prouinciarum quidem aliarum alia fuere subsidia; Mediolanensi decumæ sunt concessæ, quas postea, vel melior secunda fortuna remisit, vel deterior ætas inficiata est. Antea, virtute Pontificum, aut insectatione, Tyrannorū claruerat nomen Ambrosianum: Splendorem & opes, & quicquid est illud quod nimium inuidioso nomine diuitias appellamus, neq. agnoscebat Ecclesiastica vita, neq. admirabatur. Semper, aut forte maiori humana Pontifex, aut Martyr inuictus, aut horū exemplis accensi populares magnarum opum instar fuerant; cum Theodoro domum ipse opes venere. Indulxit præter hanc decumarum facultatem alia quoq. magnifica, & honora Pontifex Theodoro, que quidem tantum exoleueré, ut he memorari quidem possint. Traditio tantum tenuis extat de ordine quodam Equestris, quem Episcopus hic instituerit ex eiusdem Romani Pontificis autoritate, præsidio nimirum Ecclesiasticis rebus aut ornamento. Eos equites in ordinem ita tradunt solitos referri. Lecticiues ab innocentia vitæ, ab litteris quoq. & morum elegantia per graues viros, quibus ea cura, deucebantur ad Episcopum, qui de vita, & institutis eorum iam antea priuatim edocetus fuerat. Ibi num yellent diuinam militare militiam, & an leges, in
quas

Quas ei forent adscriptio militie, seruare possent, interro-
gabantur. Ut eorum quisq. velle se, atq. etiam posse res-
pondisset, idoneis traditi magistris, sanctioris vitæ præ-
ceptis imbuebantur. Eo rudimento actyrocino satis
probati dabant nomina, eratq. is ordo Ecclesiasticæ rei
vel maximum firmamentum. Hæc ipsa nonnulli refe-
runt ad Alionem quendam Anglieriæ Comarchum, quæ
Gelasius, non Felix Italiciæ Regem appellauerit, dum vult
esse aliquem oppositum Theodoricu, qui per Ecclesiæ
contumelias Imperiū agitaret. Vt cunq. ea res habeat,
originem Alionis, & quæcunq; de ipso traduntur operæ
præmium est cognoscere, quia Pontificis muneribus, &
omniliberalitate decoratus, Ecclesiæ per ea tempora
quasi caput alterum fuit. Angleria nobilis quōdam vrbis
in Verbani Lacus littore, nunc est pagus, & antiquę glo-
rię famam, ac vestigia tantum seruat. Ea caput erat
vniuersi tractus, quæ lacus immani decursu nomen ex-
tendit, latiusq. porrò, & longius iura inde populis da-
bantur. Regimen ac dominatus, & ditio tota, penes in-
clitam familiam erat, quæ Comitum titulo, vim splen-
doremq. Regum obtinebat. Anglieriæ comites clarum
hodieq. per annalium monumenta nomen, ipsorumq;
priuatim annales extant, principum domorum, & ma-
gnæ fortunæ reliquiæ ferè semper, & ex tantis rebus vni-
ca superstes cura. Ac de primordijs quidem ipsius vrbis
aliij mira, & fabulosa; cæterū constantior fama est, ab
exule Troiano (Anglo nomen perhibent) ædificatam,
& quod ibi stabili certaq. sede finiisset errorem, primò
stationem dictam, postea conditoris ipsius nomen inua-
luisse. Dominatricis familie princeps Maximianus me-
mora-

moratur, à quo transmissæ per manus, & propagata gen-
tis opes nihil mutauere, donec Romanus, Alione proue-
cto, nouos domui titulos, nouamq. fortunam dedit.
Is cùm rem Anglericam æquabiliter, ac iuste sicuti fa-
ma est, administraret, cùmq. multis experimentis esset
illius cognita pietas, & fortitudo, fertur mouisse Ponti-
ficem opinionem sui, vt summa ei fidem omnium rerum
haberet, statueretq. nusquam alibi, quām in huius opi-
bus & imperio firmiora subsidia perditis Ecclesiæ rebus
haberi posse. Contra, Rex Theodoricus, primis actio-
nibus, religionis & iustitiæ famam consecutus, mox adeò
in contrarium verterat, vt inter imperij portenta, nu-
meraretur. Mentita specie Catholicus, Arianus animo,
Ecclesiæ tunc statum afflatabat; popularis infidus, aper-
tus hostis erat, & asperauerat forte Principem sacro-
rum, in humano facto, cum insignes religione viros con-
ieciisset in vincula, perimeretq. tabe, nullam ob causam,
nisi quia rem Ecclesiasticam defendebant acrius, quām
vt meminisse imperitantis viderentur. Ob ea, Romanus
Pótifex, parare firmamenta, queis resisteret, ac velut in-
gruenti procellæ querere portum sibi suisq. Alio Comes
Anglieriæ est ad id potissimum visus. Nam præter inui-
ctum animi robur, erat ea potentia, quæ modico au-
ctu facilè Theodorici sustinere furorem posset. Itaq. de-
coratur nouis honorum vocabulis, firmatur opibus, &
authoritate, modis omnibus extollitur, in id fastigium
easq. vires, vt quātū ab Theodorico periculorum immi-
neret, tātum in Alione subsidij Catholicis rebus esset pa-
ratū. Gentile quoq; nomen appellatione, noua mutatur
nec iam Anglieriæ Comes, sed Rex, ipse posteriq. eius

num-

nuncupati. Ferebāt tributa vectigales pagi, quos ab ipso
Pōtifice nominatim editos nihil hīc operæ est recensere,
& iurabant in ipsius verba præter stipendiarios, alię quoq.
gētes, queis iuuentutem in armis ad subita belli paratam
habere in oneris ac tributierat loco. Iam in Ecclesiam
quoq. in sacra & sacros, penetrabat huius Pontificij Re-
gis authoritas & imperium; nec aliam ob causam, quām
quia ipse Ecclesiæ pars foret. Cognoscere de cuiusq. vi-
ta, & religione, custodire suspectos, amouere corruptos,
& ne quid contagionis perueniret ad integros, excuba-
re, non minor cura ipsi, quām tuendis finibus, & haben-
do procul hosti. Tum si qui contraxissent incestas nup-
tias, dirimere vincula, separare coniuges, si quis ordinis
Ecclesiastici per licentiam atq. lasciuiam ageret, deiice-
re gradibus, & amouere loco ius habebat. Non Medio-
lanensis Antistes, non prouinciales Episcopi, non quis-
quis fructuosum in Ecclesia munus obtineret immunis
erat ab annuoue vectigali, quod Pontifex maximus huic
adsignarat. Rursus ille beneficiarium ac vectigalem se
se ferebat Ecclesiæ, & acceptum inde Regnum atq. splé-
dorem hunc vniuersum tributo vicissim fatebatur. Neq.
recusatum ab eo, quominus argumento ditionis Eccle-
siasticæ gentile stemma nouo mutaret insigni, & ascita
Cruce clauigerum Herculem abdicaret. Alba Crux po-
stea mansit vexillum Anglico Regi, idq. vadentes ad
bella, tūm pugnæ firmamentum tūm victoriæ omen fe-
rebant. Plura de Alione posterisq. traduntur; nos iudi-
cata & probata consensu meliorum elegimus, Galuanū,
& Corium præcipue autores secuti, quos profero statim
vt appellentur, si quis fortè tardus erit ad credendum.

Talis

Talis hic Rex igitur Theodori æqualis fuit, & pari fermè cū eo autoritate, ac iure Mediolanensem Ecclesiam administravit. Neq. ambigam, quin ea Regis cum Episcopo societas locum præbuerit eorum errori, qui alterum ab altero non distinxere. Tumulus Alionis est in Ambrosiana Basilica cum statuis ac sigillis ex rudi temporū illorum magnificentia, præbetq. tumulo fastigium marmoreus suggestus, ex quo, ab Sacerdotibus illius Templici decantari periochas Euangelicas inueterauit. Sed Regem ipsum pleriq. non Alionem, Maximilianum appellauere, varietate, quam demirarer, nisi res vniuersas horum temporum pudenda pæne ignoratione confusas viderem. Nanq. & Theodericum, cuireprimendo, commissus, & obiectus Alio, diuersa fama religiosum ac mitem tradit, & sunt, qui totum Alionem ex historia penitus abdicare non dubitant. Bernardinus Corius autē nimium felicis scriptor autoritate, Datium anteponit Theodoro, neq. Theodorici, sed Anastasij sauitiam refert. Tām contraria, & pugnantia, nostra non possunt ope componi, turbidum æuum, atq. discordem memoriā indicasse satis fuerit, cæterū consensui plurium vti iam præfati sumus, attinemur. Sed siue fuerit Alio, siue Maximianus nomen ei, quem Gelasius in Theodoricum aut Anastasium armavit, illud certe nō ambigitur, quin diu restiterit barbaro caput Insubriæ Mediolanum appetenti. Insuper habemus auctorem, subisse dedendæ vrbis consilium Anglico, postquam is non suo marte nō Ecclesiæ viribus arcebat hostem. Ita victorem Theodoricum apertis repente portis vrbem intrasse subitaq. voluntatum inclinatione receptum, in D. Michaelis æde

iuxta eadem Ambrosianā capessiuisse solleñnia Regni corona te caput Litta, qui post Medicæum Ecclesiā regebat. Admiratum inde, frequentiam hanc vrbis, pulchritudinemq. & simillima omnia Romanæ maiestati, tum Ecclesiasticos ordines, & cæremonias, & numerum patrum, qui ad solenne illud conuenerant ex prouincia; flexisse veneratione quadam animum suum, & pro odio ac ira caritatem sumpsisse qua stetit vrbis, & creuit. Theodoro regnum tenente, Alione siue Maximiano contra Theodoricum opposito, vt semper idem volueretur orbis, noui se se in Italiam hostes effudere, qui simul veterum malorum memoriam oblitterarent, simul recentia perlumperent atq. delerent firmamenta vrbis, & Ecclesiæ. Stupra cædes, rapinæ, & omnia captæ vrbis ludi bria ultra solitum inualuere. Mediolanenses finitimiq. præcipue vastati; neq. quicquam vspiam opis, & auxiliij, cum Theodoricus ipse tueri arcem atq. domicilium imperij satis haberet, impar Anglerus, Constantinopolitani procul, Insubria rota nihil firmum aut validum haberet. Rugi fuere, qui Theodorico infensi vrebant nostra bellicos quām hominibus propiores. Sagittæ his arma, vietus in promiscuo, villi cultus erant, neq. tegumen aliud capiti, quām setæ in nodos conuolutæ. Sed multitudine ac ferocia, simul perniciitate pedum, & corporis robore potio res erant omni militari arte, ac disciplina. Successerat vt memoriaui Theodoro Medicæo Laurentius Litta, cum ille sexto Pontificatus anno ita decessisset, vt triste sui desiderium relinqueret Ciuitati, & Ecclesiæ, cumq. in Hippoliti situm æde publica mœstitia sine fine vrgerer querelis, ac lamentis, & flebili comploratione.

ratione tanquam sœuitiæ barbarorum, & furori sese di-
ripiendos reliquisset. Litta solamen animis fuit, nulla re
minor, quæ ad regendam in tali tempore Ciuitatem per-
tineret. Hunc, & Epiphanium Ticinensem, capita, &
subsidia rerum tunc habuit Italia. Solandis populis, &
leuandæ calamitati vterq. momenti tantum faciebant,
quantum poterant homines innutriti litteris ac paci cō-
tra feros & truces, queis pietas & artes bonæ penitus
ignorantur, vel etiam sœuitiæ incitamentum habent.
Opera tamen & consilio, & omnibus officijs, nulla cu-
pidine vitæ, nullo contumeliarum metu, quæ in tanta
rerum perturbatione erant perferendæ, publicam ad
salutem quoquo poterant modo fortibus animis in-
cumbebant. Neque domi tantum ardor studiumq.
Pontificum, & cura paterna continebatur; Sed ex-
ternis quoq. rebus obuia, & parata qualecunq. perfu-
gium fuit Aemilia, & Liguria per id tempus miserrimæ
prouinciarū vndiq. circumuentæ penitus perierant, nisi
consilia huc vertissent. Scilicet, hinc populatione Ru-
gorum, hinc Theodorici sœuo premebantur imperio,
& cùm omnia tentassent, nullum inueniebant leuamen.
Itaq. veniunt primores ad Epiphanium, & exposita ca-
lamitatum summa, vti ferat opem flentes petunt. Ille,
audita, nec dum dimissa legatione consulit Archiepisco-
pum Littam, & postquam de tota re sunt collocuti,
statuunt communi consilio ferendum auxilium affictis,
neq. pertimescendam irriti conatus ignominiam, in ea
re, quam nō tentasse, ac suscepisse prope summa sit igno-
minia. Cum eo responso legatos dimittunt; irent, ac be-
nè sperarent; se, quantum duorum hominum consilio,

& ope prouideri possit, adnisiuros, uti clarissimæ provinciæ cladibus eripiantur. Theodoricus tunc erat Ravennæ intentus arcendo Romanis finibus hosti, & ex altera parte tanquam in otio vexandis ciuitatibus, quæ venienti olim sibi portas occlusissent. Eo in numero, sicuti dictū est Aemilia, & Liguria victori sæuo ludibriū, & præcipua materies infestissimæ crudelitatis erant. Pontifices, Litta, & Epiphanius quanta maxima potuerunt celeritate Rauennā profecti, faciliores, quam ut apud barbarum aditus inuenere. Notus vterq. priuatim erat Theodorico; ob ea benigne ac liberaliter admissi. Dicendi partes ac munus, altero concedente, relictum Epiphanio Ticinensi promptum ob ingenium, & quia talibus insueuerat. In seram simulacrum eloquentis, uti tunc erant tempora viri, quæ dixerit referendo; nam et si ab Ticinense perorata est causa, Littæ tamen Archiepiscopinostrī prudentia, & consilio temperatam, atq. meditata orationem credi par fuerit, & simul ille aderat.

Epiphanij verba in hunc modum fuere. Si, aut calamitates, & mala, quæ nostra per tot annos ætas videt, essent eiusmodi, ut aliud quam adesse finem appareret; aut tu ipse similis es eorum, qui olim in Italiae perniciem venire: poterat hoc supersederi legationis munere, quo, neq. tibi molesti essemus, alijs curis occupato, neq. immitem fatigaremus. Nunc, cum, & florentissimæ ciuitates ad extrema sint deductæ, & multorum casib[us] cognita clementia spem nobis prope certam ostendat, venimus ad implorandum opem, ne quicquam postea rogaturi, si nunc inexorabilem experimur. Neq. noster hic dolor, nostra causa, sed quod fortasse, quamvis asperum

in-

ingenium, & obfirmatas iras emollire possit, officium
est, & caritas, & propria in clade respectus ac misericor-
dia clavis alienæ. Pro Aemilia, & Liguria, quæ prouin-
cię, casu magis, & humano errore, quam scelere aut cul-
pa meritæ præcipuam iram, sic diripiuntur, ut nihil iam
habeant reliqui, nobis hæc legatio est suscepta. Ac il-
lis quidem qui spem certam in nostris precibus habuere,
quicquid renuntiatur tandem sumus, pro nostra parte
erit satisfactum, apud cæteras verò gentes, quæna hinc
fama percrebescat, haud sane mediocriter trepidamus.
Quò magis decet exorarite Cæsar, & concedere lacrimis
ac dolori nostro, ne gentes hæc deletæ per iram nomi-
ni tuo sœutiæ labem adspergant. Per viatorias tuas, &
per tenorem illum felicitatis, quo te Princeps, in ista sedē
euxit Deus, petimus, ut te placabilem præbeas, malisq;
prodi memoriam hanc, cum delere posses seruare ma-
luisse, quam cum posses seruare, deleuisse. Etiam illud co-
gites, si vtrumq. præclarum sit, & seruasse nimirum, &
perdidisse, conseruandi tamen, quæ sit cum pietate cō-
iuncta laus, eam regio nomini magis decoram esse. Iniu-
rias vlcisci priuatæ fortunæ est, ac ex contemptu doloré
fatentis, magni Reges ignoscendo, & condonando ma-
lunt inclarefcere. Neq. tamen his gentibus, si quid for-
tè deliquerere, stat impunita temeritas. Quinimmo, sic in
eas esse animaduersum arbitramur, ut possint in omne
tempus esse documento, ne quis in posterum morari vi-
ctoriæ tuæ cursum ausit. Quod si rursus eorum culpa om-
ne piaculum exsuperat, neq. potest contumaciæ par vl-
la poena reperiri; stet altera in parte indulgentia erga te
ipsum Numinis, neq. fueris acerrimus vindicta in alios
quem

„ quem præcipua fouit benignitate Deus, & ad Imperij
„ fastigium perduxit . Quippe etiam cùm Ticinensisibus
„ muris ad sideres , vouisti olim, si vrbis eius potire, be-
„ nigne cum omnibus atque leniter acturum , eiusque
„ voti testem exercitum aduocasti . Argueris igitur ,
„ & cælestibus beneficijs , & hominum iudicio , &
„ tua ipsius conscientia . Diuina beneficia sèpè retrò in
„ vltices iras reuoluuntur, & multi secundis rebus elati,
„ cùm aspere in alios , ac duriter agerent, exemplum hu-
„ manorum casuum fuere. Hęc, & alia in eandem senten-
tiam Epiphanius Laurentio adstante perorauit. Erat
Theodoricus necessitate Regni magis, quām suaptè na-
tura ferox animus, neq. tam ingenio suo, quām licentia
fortunæ, vel tristi Principum arte fæviebat in rebelles,
quò facilius cæteri continerentur . Tum initio religio-
sus, posteà contumax, mutabat extrema primis, paula-
timq; cælesti commotus terrore obsequium erga Eccle-
siam, quod olim exuerat, resumebat. Itaq. respondit ea ,
quæ cordi essent legatis, & quibus amiciora, ne ipsi qui-
dem optare potuissent. Meritū vltima, Ligure esse, Ämy-
lię quoq; ciuitates, ita se gessisse, vt propè dissolutus vi-
deri posset, atq; regnandi artiū ignarus , si perget igno-
scere. Noxiorum impunitate integros quoq; ad audēdū
excitari, nec ambigere se, quin adeò turbidis rebus, &
ingenijs, præstet seueritate, ac terrore, quām indulgentia
regnum administrari . Cæterū potiorem sibi sacræ
legationis autoritatem, omni, vel animi perturbatio-
ne, vel vtilitate Regni . Irent, ac lāta rebellibus renun-
tiarent, leuatvrum se prouincias oneribus, cū eo tamen,
vt paucos quorum in communi tumultu præcipua fue-
rit

rit audacia sibi reseruet in exemplum, eos publicæ pœnæ impleturos vicem. Ferret æquo animo legatus uterq. si cum hac exceptione voti compotes discederent. In hunc modum Epiphanius, & Laurentius alienis malis remedium inuenere, cùm ipsis haud minus afflictæ domi res, cumq. turbida per se Ciuitas barbaro insuper furore diriperetur. Ea legatione peracta Epiphanius quidem apud Theodoricum est detentus perferendis ad alios reges mandatis, Laurentius verò Mediolanum ad suum Pastorale munus rediit. Ibi squalor, ac solitudo, nec vlla forma sanæ Ciuitatis, ingens materia Pontifici caritatis, & patientiæ. Sed post aliquando Romā, ab Theodoro idem est euocatus Concilij causa, cuius indicendi, & habendi Theodoro necessitatem attulerant crimina obiecta Simmacho Pontifici Maximo. Simmachus natione Sardus deducto in contraria studia, & partes Señatu, Pontifex appellatus fuerat; sed altera factio Laurentium quendam opponebat. Inde seditio, & tu multis in Ecclesia, arma quoq; & cædes parabantur. Theodorus ex barbaro, & Ariano iam factus Ecclesiæ Catholicæ moderator, arbiterq; Pontificatus, componendæ rei animum adiecit, euocauitque patres inter quos, Laurentius Mediolanensis, & Petrus Rauennas primum locum tenuere. Sed gestæ rei gloria penes vnum fuisse Mediolanensem videtur. Id adeo credere licet Ennodio temporum eorum æquali, qui refert in eo negotio, Laurentij fortè animum, & impavidum aduersus pericula, principum minas, contraria studia maiestatem iouis, & viatos ad extremum eius autoritate calumnatores, & in eandem sententiam alia, quasi torpentibus

cete-

ceteris unus ipse pro Symmacho dimicaret. Patres vbi Romam conuenere, primùm omnium interrogari suo nomine iubent Regem; quid negotij sit, quæ causa Concilio. Refert ille reum Symmachum, & accusatores, & cognoscenda crimina; in id euocatos esse ipsos Romanos. Laurentio Mediolanensi suscepit erat discri-
men interrogandi Regis. Hic accepto responso, maie-
state ingenita, cur non igitur, inquit, ab illo sumus euo-
cati, cuius, & agēda causa, & euocandi summa potestas
erat? Senserat Theodoricus offensos animos patrum.
Non tamen offensus ipse liberiore oratione, quām quæ
habenda apud Regem videretur, docet, se se quicquid
fecerit, ex ipsius autoritate Pōtificis fecisse; simul testi-
monia in id ipsum, & litteras profert. Ita conuentus agi-
cōptus in Basilica Sessoriana, censuitq. statim Laurētius,
recipiendos esse accusatorum libellos, qđ seditionis re-
primēdæ fore principium putaret. Inerant duo, quorum
alterum confitum impudenter, alterum inique postula-
tum, vtrumq; veluti furiosa res est obiecta Concilio.
Nam, & quæstionem haberi de seruis in dominum vole-
bant, quod vetitum antiquitus, & scire Regem ea, quæ
Symmachus admississet, mentiebantur. Symmachus
tamen ipse progreditur, in illo cōuentu causam dictu-
rus. Fit concursus inimicorum, clamor, arma, lapides,
gladij, tantaq; rabies fuit, vt ex Pontificio comitatu ca-
derent pleriq. Pontifex ipse vix euaderet. Hæc veluti
prima fuerat procella Concilij. Regente postea ventos
& moderante animis Laurentio, multis contentionibus
agitata res eò demum est deducta, vt innoxium argui
Symmachum vna omnes voce pronunciarent. Quod
nam

nam porro illud fuerit crimen ab aduersaria factio[n]e
confictum Symmacho de honestando, ac opprimendo,
facilius est nobis quadam assequi coniectura, quam vlo
modo ex ipsius Concilij actis affirmare. Nimur ea
modestissima cautio patribus fuit, vt incommodos de
Christi Vicario rumores omni suppresserent ope, quan-
quam scelus forent alienum, haud ipsius culpa. Ideo ,
cùm extent reliqua custodita diligenter, & memoria fi-
deli; id modò prætermissum est, cuius noxæ Pontifex
argueretur. Cæterū in ipsius decreto Laurentij, quod
sub Concilij finem, ad tuendam Sacerdotum existi-
mationem, & famam , reuersus ille Mediolanum de
Concellaneis adhibendis fecit, quædam apparent eius-
modi nefariæ criminacionis impressa vestigia . Verba
decreti in hanc sententiam fuere . Quamuis magna ”
spes animum nostrum teneat, eos homines , qui vitatis ”
illecebris humanarum rerum, vltro sese communis v[er]it[er]e ”
magistros exhibuere, procul ab futuros ab omni mala ”
suspicio[n]e, locumq[ue] criminandi, malignis hominibus ”
haud ullum esse relucturos; admonemur tamen pasto- ”
rali nostra sollicitudine & cura , vt omnia quæcunq[ue] ad ”
eam rem pertinet prouidenda esse nobis, etiam atq[ue] ”
etiam putemus. Imponit autem hanc præcipue necef- ”
sitatem triste Romani Pontificis exemplum , qui cùm in ”
omnibus Reip. bene gerendæ partes attentus , vitam ”
ageret caste ac innocenter, proximo tumultu est im- ”
proborum scelere p[ro]nè circumuentus. Turpe crimen ”
affinxere Christi Vicario, idq[ue] per suum dedecus & peri- ”
niciem fecerunt etiam humano quodam errore . ”
Nam fouerg[er] flagitia , secretasq[ue] meditari libidines ”
Nam fouerg[er] flagitia , secretasq[ue] meditari libidines ”

M m m obno-

„ obnoxia rumoribus dicitur solitudo , & multa quæ ibi
 „ fieri potuere , facta creduntur, tanquam scilicet, aut in-
 „ clusa penetralibus facinora non pateant cælo , aut cu-
 „ stos acrior pudicitiae sit hominum conscientia , quam
 „ Numen ipsum . Nos igitur hæc suspicionum incom-
 „ moda prohibere in posterum cupientes , decernimus
 „ ex ipsis , et Romani Pontificis authoritate, ne quis , aut
 „ Sacerdos , aut Leuita, semotam ab alicuius probati viri
 „ conscientia vitam agat . Ita fiet , vt semper in testium
 „ conspectu & luce sita vita procul habeat obscuros ru-
 „ mores & maligna interpretamenta , quæ fere innocen-
 „ tiam sequuntur . Quod si cuiquam adeo angusta domi-
 „ erit res , vt nō facile alere contubernalem possit; huic ,
 „ ad inopiæ subsidium mandamus , vt in alienum ipse co-
 „ tubernum transeat pari bono ac fructu . Caveant ve-
 „ rò , nequam intra sua testa mulierem admittant propter
 „ sexus illius pericula promptamq. sermonibus materie ,
 „ & faciles in eo negotio linguas ad obloquendum . Mul-
 „ ti , sicuti Sanctus pater ait Ambrosius , non dederunt er-
 „ ro ri locum , & dedere suspicioni . Suspicio autem illa
 „ pernicies est animarum , quia detrahendi principium
 „ habet , nec obiectatione grauius venenum . Hæc for-
 „ ma fuit editi , ex quo , securi homines illud cōiectauere ,
 „ quod reticuerat historia , dissimularant Patres & Acta
 „ Concilij ; polluto scilicet ore temerarios homines au-
 „ sos fuisse criminari Pontificem maximum tanquam in
 „ illo fastigio peccasset aliquid naturali desiderio , quo
 „ viri cum feminis peccant ; id crimen eamq. suspicione
 „ ortam ex eo , quod secreti sui dulcedine nimium ille
 „ fortasse delectaretur . Negotium sane magni certam-
 „ nis

nis fuit, plenum varietatis, ardens inuidia, summaq;
ratione fecere, Laurentius, & Petrus, ut interea dum res
agitaretur, ipsius consuetudine Pontificis abstinerent.
Cum enim ipsorum praesertim aequitati, ac prudentiae per-
missum tantæ rei iudicium esset, cumq. intenti indiscepta-
tores omnium oculi, scrutaretur sagacissime, quanta illis
constantia, quam integer animus, num quæ in reum mi-
sericordia, num præiudicati quicquam lateret; ea ni-
mirum in tam suspectis rebus cautio fuit adhibenda, ne
cum Symmacho miscerentur ullo colloquio vel con-
gressu. Id ipsum inter pleraque alia nouandis postea re-
bus obtentui sumpfere, qui Symmacho infensi decreta
Synodi contumaces adsperrabantur. Quippe aiebant,
damnaesse hominem ipsos, & quanquam diuersam in
Concilio sententiam dixissent; magis tamen quid in-
timis animi sensibus iudicassent, esse spectandum, quam
quid consensu reliquorum abducti dedissent temporis,
& gratiæ. Inania hæc & falsa. Nam quamuis absti-
nuere colloquio, cætera tamen Catholicæ communio-
nis officia præstitere laboranti, nec aliorum magis arbi-
trio, & authoritate dirempta lis, ac euictæ calumnæ,
queis homines leditiosi, & male sani, quietum ingenio,
& incorruptum religione Pontificem opprimere cona-
bantur. Extant litteræ Simmachi Pontificis Maximi,
adeò erga Laurentium reuerentes, & honoræ, atq. cū
tanta testificatione virtutum ipsius, ut huic ab illo Ponti-
fice fastigii pene submissum esse videatur, vtq. neminè
ea tempestate pluris fuisse, vel ex eo quilibet existima-
re possit. Scilicet multa cum excusatione iciunitatis suæ
summus Pontifex Laurentij laudes orditur, queritur hu-

M m m 2 ma-

manissime, quod animo erga ipsum, & pietati lingua nō suppetat; testem intimi sensus inuocat Deum, & cūm verbis amplissimis omnia persequatur omnia tamen relinquere se ait cogitanda, & subiectienda. Nō virginalis casti moniae decus, nō ingenij gloria, nō prudentię laus omisfa; externa quoq. memorantur bona tanto ardore, ac spiritu, vt iustum admiratione Laurentij Symmachum possis cognoscere. Domitorem humani sensus, parem nomini, & ciuitatum viatrice lauru caput dieit, quamquam more laudantis, intētus tamen penitus ut sentire videatur. Hæc ferme Romanus de Mediolanensi Pontificeliberator suo. Præcipua nobilitas ei nec modicæ opes fuere, & statim ut adoleuit, artes & studia. Naturæ, & ingenio ferebatur ille quidem ad sacra & religionē, sed parentibus ciuilia magis curæ. Parentum authoritate vixus flexerat animum suum adolescens, & magistratus capessiuit. Mox arma quoq., & acies, & summa gerendi belli penes eum; sed nihil interea vel licentia militaris, vel forensis auaritiae. Prorsus ad eum modum compositus, vt sufficeret ingenio, quam se cunq. in partem deditset; cæterum piæ ac religiosæ mentis indicia semper emicarent. Turbulenta nimium & plena calamitatum hæc tempora; ambitio tamen inualescebat, & facri honores appetebantur. Itaq. mortuo Theodoro Medicæo, studia competitorum exarsere. Plures opibus & gratia, quidam doctrina, & yisu, & arte regendarū animarum vacuam Ecclesiam trahebant; prorsus inter magnos viros, & per merita pares graue certamen erat. Sed quemlibet alium homines destinabant, quām quem Deus in occulto futurum Episcopum tenebat. Fama de

Lau-

Laurentio iam antea peruererat Romam , & ferebat æ-
gre Symmachus , quod pastorale illud ingenium con-
suetudo siue casus abstulisset in diuersa . Nunc ipsius re-
cordatio subierat animum , & honorem , de quo alij stu-
dijs immodicis contendebant , quieto ac silenti , & alia
omnia cogitanti huic mandat; acceptumq. ille sic geslit ,
ut incertum relinqueret in omnium animis , fortiorne
miles , an melior Episcopus habendus esset . Sub eius
obitum cœperat Ecclesia Mediolanensis ire felicius ac
melius , & ciuitas paulò antea deformis ac turbulenta
sese paulatim vrbanos in mores habitumq. compone-
bat . Causa , & initium ex Theodorico , quem secunda
pariter , & aduersa docuerant parcere catholice rei , fo-
nire sinceram fidem , studere quieti ac paci . Igitur , &
sacrae ædes refectæ , quas olim ille gratissimo in Arianos
munere dirutas æquauerat solo ; & Ecclesiastici fructus ,
quos ipsius interceperant satellites æqua æstimatione
compensati . Ea porrò compensatio quo plenior foret ,
concessa clericis immunitas , & quicquid onerum susti-
nerent , in laicos est inclinatum ; emendandis quoq. mo-
ribus , ac sanciendo discipline princeps animum adiecit .
Hebreorum quisquiliæ tunc erant in vrbe perfidum ge-
nus , queis publica paupertas quæstui , ludibrio sacra , &
ritus habebantur . Horum mores & consuetudo vitæ
haud multum discrepabant ab ijs institutis , quæ sectam
vniversam tenent hoc tempore , nisi quod tanto fœdio-
res erant , quanto plus impunitatis ac licentiæ conditio
temporum dabat . Super omnia , fœnebre malum exi-
tiosum , & capitale fuisse ciuibus perhibetur . Namq. per
bella fortunis omnium exhaustis , cùm socia rapinarum
gens

gens omnem ferè quæstum intercepisset, huc eundem erat, siuere quapiam empta, siue presenti pecunia cuipiā opus foret. Et illi, queis, neq. caritas vlla ciuitatis, ut alienæ, neq. metus ex Rege aut lege, infensis aut exoleatis, ita commodabant, interposito pignore, ut breui tem pore pignus ipsum usuræ voraces occuparent. Ita inquilini pudendas in opes crescebant; ciuibus ipsis nihil reliquiebat, præter nudos liberos, & vacuam domum, ac plerunq; in hæc ipsa tabes perueniebat. Siquidem egentissimi mortalium, postquam defecerant cætera, ipsa tecta, ipsosq. liberos apud Iudæum oppignerabant, tetro spectaculo, cùm simplex ætas, & ignara veri, facilime in mores eorum transgrederetur. Iam adolescuntuli Mediolanenses Hebraica circumcidura fœdati Messiam expectabant, arcanisq. toto corpore nexibus obligati superstitionem fatebantur. Propius erat nihil, quâm ut tota ciuitas Hebraicam in vanitatem degeneraret, extorrisq. gens, & suis profuga quondam sedibus, figeret hic domicilium, ac veluti rerum potiretur. Obuiam iuit Theodoricus, Imperij simul, & religionis cura, legemq. de Hebreis tulit, qua croceo galero distingui genus vniuersum iubebat; simul vetiti sunt pignora præterquam mouentium rerum accipere, & separatæ sedes adsignatæ. Sic & malo ciuium, & Iudeorum audaciæ, finis inuentus. Mox sicula fraus exoritur, & prædia, quæ Mediolanensis Archiepiscopus ea in prouincia possidebat occupantur. Cœperat id Ecclesiæ toti commune malum esse, quo pessimi homines interuertendis Apostolicis opibus atq. per diuersa vocabula rapiendis in priuatas domos, nulli non ætati cognitam artem factabant,

tabant, atq. ita primuam ad nuditatem redigebamus.
Sacrilegi mortales licentia, & iniuria tanquam equo, & iure nitebantur; nec alia tam intima causa Symmacho sextam indicendi Romanam Synodum, quām ut ei fraudem modum aliquem inueniret. Simul Eustorgius, qui mortuo Litta, Mediolani Episcopus sedebat, petiit ab Rege Theodorico, ut mederetur Ecclesiæ suæ malis, iniuriasq. & furta reprimeret siculorum; iam ad extrema ventum esse, Insubriæq. Metropolim spoliatam opibus, inane nomen ac sine retitulum iacere. Itaq. promptus in remedia Theodoricus dedit super ea relitteras ad Siciliæ magistrorum, quarum sententia fuit huiusmodi. Non placere sibi, ut cuiquam in regno suo fiat iniuria, vtq. fortunas alienas quisquam sibi ad rapinam oportunas putet. Tantò magis, rem Ecclesiasticam, cuius incrementis ac securitate cætera contineantur, sacrosanctam, & iniuiolatam esse oportere. Accedere decreta concilij, preces Eustorgij, Pontificis autoritatem, quæ omnia sibi sint incitamento, ut improbæ cupidini ac licentiae obuiam eat. Proinde operam daret, ut quæ prædia, quosue pagos, immemores diuinarum humanarumque legum homines usurpassent ea prædia, eosue pagos assereret in pristinam possessionem vacuosq. traderet Archiepiscopo Mediolanensi; Ecclesiæ patrimonium diuinatus esse constitutum, neq. mortalium ulli contra tendere fas esse. Obtemperatum litteris à Præfecto, prædiaq. sunt recepta. Hæ litteræq. secutaq. litteras in gratiam Eustorgij prædiorum restitutio, satis arguunt eorū imprudentiam, qui negotium hoc in ipsius Littæ Pontificatum coniecere. Iam enim decesserat Litta, sicuti quidem

dem illo quoque constat argūmento, quòd scilicet non interfuit huic sextæ Synodo, qui quartam, & quintam obierat, eamq. conjecturam pater ipse sacræ historię Baronius est secutus. Eustorgius natione Græcus ex disciplina Ioannis Damasceni, præter cetera seuerę ac rigidæ virtutis decora, queis Magistri præcipue referret sanctimoniam, & pietatem, claruit animi benefici atq. hospitalis laude. Quippe fraudans se viatu suo, pauperium quenq. sustentare diuidere in plebem egenam vestimenta, & ingenuis hominibus, qui prodigentia maiorum, aut temporum iniuria delapsi essent ad innoxiam egestatem, pecunias, & omnia prioris fortunæ subsidia cultumq. præbere. Itaq. vulgata per gentes Episcopi Mediolanensis liberalitate, veniebant ad illum externi iuuenes, ut quisq. & doctore simul, & necessarijs alimentis indigeret. Florianus inter eos, cùm ex vltima Pannonia Mediolanum ad inclitæ sanctitatis, & munificentiae Pontificem venisset, aliarum rerum inops, cæterum indeole præclara, & animo ad religionem propenso, exceptus ab eo habitusq. benigne est, donec ex altrice virtutū domo, ad Hispalensis Ecclesiæ regimen vocaretur. Patria supersticio huic, & errore gentico cultus inanum Deorum, florem etatis occuparat. Eustorgius abluit salutibus aquis, doctumq. celestia & Ecclesiastica, simul facultate dicendi, & interioribus litteris expolitum, per singulos ordinum gradus ad Diaconatum euexit, statq. hodie inter magna Hispalensium antistitum nomina non magistri minus, quam sua virtute notus Florianus. Post Florianum Augustanus Episcopus venit. Nomen eius vetustate abolevit, probrum, & ignominia facti tantum manet,

manet, quo turpem notam meritus fuit ut Episcopatu
deiceretur. Hic homo, cum apud Eustorgium aliquādiu
diuersatus esset, eō familiaritatis venit ut adsumeretur in
partem curarum, & gliscentibus quotidie negotijs ple-
raq. per ipsum administrarentur. Ac primò quidem il-
le liberaliter ac dexterè obeundo officia, pulcherrima
specie pessimum animum occultabat, neq. fraudem, &
in proditionem erupturas artes facile quispiam intelli-
geret. Mox vbi auctoritas increuit, & vbi concionan-
do, ad populum, & agendo multa, hoc est assecutus, ut
quamuis falsæ rei grauis author haberetur, orditur fa-
cinus insanum, ut Eustorgio depulso locum, & sedem ip-
sius adipisceretur. Igitur adripere ciuium animis, iace-
re in Eustorgium cōuicia & probra, queis nulla materies
ex ipso, sed cæcus animus cupiditate & ambitione,
cūm vitia decessent, virtutes ipsas ad crimen attripiebat.
Affingens honestis praua, quieti ac tranquillitati secor-
dæ nomen imponebat, eam obtentui sumptam, quò
magis iners ac segne otium velaret. Incessus, accubi-
tus, dies, nox, Ecclesia, domus, oratio quoq. & sacræ
conclaves, quarum gloria diuinus antistes præcellebat,
in suspicionem vocabantur. Ea præcipua seges inui-
diæ. Nam quia magnisemper animorum motus fiebat,
sive quempiam alloqueretur priuatim, sive de superiore
loco verba faceret, & omnem in partem contorquendi
populi vim quandam habebat; id esse venescum, nec ex
illis ore sonum humanæ vocis, sed incantamenta, &
diras ad aures accedere criminator arguebat. Ut sin-
gulorum hominum, ita ciuitatum gentiumq. sunt mo-
res. Prompta credulitas alijs, & auida tumorum natu-

N n ra,

ra, tardiores aliæ, & assensu difficiili, nisi iudicium oculorum præcurrat. Mediolani vulgata hæc spreuere. statim omnis, quidam etiam cum indignatione coortivim parabant. Ac nisi desincret artem Augustanus, haud procul aberat ab exitio, & longe aliud, quam quod perebat, calumnię premium tulisset. Nam tamen hæc Eustorgio, isq. statuendo magis in publicum exemplo, quam vindicandæ priuatim iniurie, ordine mouet hominem; necipius Theodorici preces imperiosæ valuere, cum reus ad illius autoritatem confugisset. Extant apud Cassiodorum litteræ, queis Rex ille, nescio quo spiritu solitus Ecclesiæ sese negotijs immiscere libenter, pristinum dignitatis locum, & pristina iura petit Augustano, tanquam id pertineret ad regni maiestatem, & innocentia tutelam. Quippe sub iusto dominatu tuta esse omnia subiectis oportere, neq. principibus viris in capitis, & fortunatum iudicio respicienda esserunt in inania fallacesq. sermones, & quicquid configere posset inuidia. Falso prodictionis criminè circumuentum Augustanum visum esse sibi; ideo absoluendum eum iudicasse. Vix ob manifesta crimina iustas pœnas effugeret publicam offenditionem & carere periculo; quanto magis inuidiosum, & ad Imperij statum, anceps atq. Iubricum fore, si leuissimam quanq. suspicionem captare dominus rerum insuecat, scq. prebeat opportunū pessimę delatorum arti. Hos homines, qui fuisserent auctoritate periculum intoxio, plectere ad ceterorum terrorem sibi consilium fuisse; sed quoniam essent è clericorum numero, sententiam immutasse tamen, ac eius rei iudicium ipsiusmet Eustorgio putasse relinquendum. Proinde statueret

erueret ipse quod ex Ecclesiæ dignitate, quod utile Re-
gno. Hęc ferme Rex Theodoricus ad Eustorgium pro-
deicto pontificalibus Augustano, quanquam ornata
verbis, & in obsequij speciem adsimulata, manifesta ta-
men iniurię, quia damnatum auctoritate Metropolitę
proditorem Episcopum absoluerat, eamq. non sui iu-
dicij rem, & actionem temere erat ingressus. Ac id quoq.
factum, inter culpas, quæ feceret finem regno, numera-
uere prudentes viri. Scilicet, huic ex multis bonis atque
malis artibus mixto Regi, cùm beneficia, & iniurias in Ec-
clesiam alternaret, ea nimium saepe redibat voluptas
idue latrocinium, quo sese partem faceret Ecclesia-
sticæ rei, specieque moderantis aliena, suas opes au-
geret. Sed postquam versa Theodorici domo, res
Gothorum vltimo sunt motu cœptæ turbati, nobis quo-
que miserrime nutauit Ecclesia, bella scilicet inter, &
ciuium cædem, & famam vltimum malorum; ac po-
tuere meritò ciuitates æmulæ iactare stetisse urbem an-
tea, nunc ut miserabile ludibrium foret. Bellisarius ex
aula Constantinopolitana vir ingentis animi Persicoq.
bello famam adeptus, Imperatoris misu venerat in Ita-
liam, arcemq. belli tenens Romam, inde circumferebat
arma profligandis Gothis. Id saeui belli principium
fuit, constiteratq. Mediolani tanta mole barbarus,
quantum nomen, & opulentia erat urbis. Nam sem-
per, ut quæq. ciuitas, agri fertilitate, publicis pri-
uatisque diuinitijs excellit maxime, ita præcipua est ad
iniuriati; nec alia magis causa florentissimas quondam
urbium euertit. Sic Gothicæ procolla multitudinis, post
primos ad Roman conatus, secunda veluti cura & pe-

Nnn 2 titione

titione urbem Mediolanum vastabat. Itaque principes ciuitatis, & quibus consilij plurimum inerat, ex Ecclesia subsidium petunt, siue fluxam sibi prudenteriam, & vanam authoritatem rati, siue experti iam saepe aliâs praesentiam Numinis, & feliciores rerum exitus, quotiescumque periculis urgentibus illuc ad sacram anchoram configissent. Post Eustorgium, qui factus Episcopus à Felice Quarto decesserat octauo sui Pontificatus anno, atque in Basilica Laurentiana fuerat sepultus, rexerat has Ecclesiæ vices, atque statum hunc temporum Magnus è Trincheria gente nec ultra triennium. Huic deinde successerat Datius ob sapientiae studia, peritiamque casuum, qui versareatur in vita, magnis negotijs aptus. Quippe tradere gesta posteris, humanasque fraudes in monumenta referre, cura & labor illi, accedebant cœlestia dona probitatis & candoris, vulgoque sanctos inter Episcopos ferebatur. Hunc obsecrant ciues, ut petrum auxilium eat. Iere ad Bellisarium vñà cum Dacio primus quisque Mediolanensium, floremque nobilitatis in eam legationem secum Episcopus eduxit. At Belisarius, quamquam diducere plures in partes exercitum, dispersasq. iam nimium vires adhuc dissipare, nota ducum arte prohiberetur; motus tamen est, siue Pontificis verecundia, siue ciuitatis amplitudine ac nomine, ut idoneo subsidio Mediolanenses esse adiuvandos putaret. Auxiliares copiæ concessæ Dacio, duabus Mundilla, & Fideli, quorum hic, bellica simul & ciuili notus laude ierat vñà cum Dacio; illum alterum

Belisarius

et alii

Belisarius è sua copia popularibus præfecit , testem-
postea cuique futurum virtutis , & vti maiestatem
Imperatoriam in eo miles respiceret . Hæ copiæ Li-
gustico mari transmissæ per Apennini iuga ad flumen
Padum descendere ; mox eius fluminis alueo sub-
uectæ Ticinum, atrocem cum Gothorum gente pugnam
committunt . Ea in pugna , Fidelis fortè delapsus e-
quo ; à barbaro , qui cadentem viderat , opprimi-
tur , fuitque cædes vnius viri , magnæ cladis instar ,
cùm ille ante funestum casum acie suorum incruen-
ta , late Gothum strauisset . Aequus deinde Mars ,
& paribus copijs paria damna , donec Mundilla Me-
diolanensium ipsorum auctus numero , superior fuit ,
eoque prælio prope debellatum est , & residui Goths
rum fuga salutem petiere . Et Dacius quidem Episco-
pus in hunc modum suppetijs impetratis ac vrbeli-
berata , parens haud dubie publicus habebatur .
Sed postea Goths , subeunte dulcedine cæli , solique
cui iamdudum assueuissent , cùm ducerent instar mor-
tis , si solitudines patrias in remigrare cogerentur ,
Theodibertum Francorum ducem implorant , ne-
que ille negauit aut distulit auxilia . Ita Mediola-
nenses , ab ea negligentia , quam secundæ res cre-
ant , in securitatem effusi opprimuntur inopinato
Francorum aduentu , cingitur vrbs obsidione , fa-
ciestota rerum immutatur . Neq. iam in Dacio Pontifi-
ce , vel inductore auxiliorum Mundilla satis opis erat :
Quas enim ab Roma copias adduxerant , has in circu-
miecta Mediolano diuiferant oppida ; Metropolim ip-
sam cum trecentis tantummodo militibus tuebantur .

Belis-

Belisarius ipse reliquo modico presidio discesserat ex urbe Roma palantesq. per Aemyliam Gothos in sequebatur, ac in ea regione liberanda negotij satis habebat. Valuit tamen apud eum, siue proximae legationis gratia, memoriaq. Pontificis Dacij, siue momentum urbis, quæ si barbaro fieret præda, non simplex id fore dandum appareret. Sic missæ iterum suppeditæ, ducibus Martino quodam & Vliari, quibus hominibus fuerat expeditius parere quam imperare, quandoquidem, ut euentus docuit, nec magnum in re militari usum habebant, nec valde tangebat eos, urbis ad quam liberandæ venerant cura. Scilicet ad Padum ubi peruenere, trepidant, harent inter transeundi necessitatem, & metum ingrediendi, terrebatq. fluminis alueus ipso ducum paucore fluctuantem exercitum eaq. trepidatione complures dies absumpti. Dacus Episcopus & Mundilla, ceteriq. Mediolanensium Principes intra urbem inclusi, cum spem auxilij ex propinquo nequicquam intuerentur, angebantur magis omnino, quam si languentes miserijs animos nulla eiusmodi spes excitasset. Enim verò tentandum aliquid rati, persuadent Paulo cuidam, uti per Urbis auaia & incustodita frustratus hostium stationes, penetraret illuc, ubi Martinus & Vliaris, pauidi militis imbelli regimen, circa padi ripas, tanquam in littore oceani, modicas interluentes vndas, quasi vasti æquoris spatia cum ocolorum animiq. vertigine despectanteis hererent. Paulus igitur felici ausu transgressus munimenta, diei unius itinere peruenit ad flumen Padum, ac ut ostenderet auxiliaribus exemplo suo, quam leui momento superabilis alueus esset, quamq. vanotimere

more cunctarentur, deposita confestim in ripa fluminis
veste, tranauit. Acceptus in castra, deductusq. ad Mar-
tinum, & Vlarem, huiusmodi verba, sicut ab Episcopo
Dacio & Mundilla duce, in mandatis habebat, fecit.
Nec iuste quidem, nec pro vestræ gloriæ dignitate ipsi
vos geritis; quandoquidem Romanarum rerum gratia „
verbo duntaxat huc aduenistis, re verò ac factis hostibus „
vires accumulatis. Mediolanum amplissima ciuitas, quæ „
ceteras Italiæ r̄ibes, vt magnitudine, ita & hominum nu- „
mero ac reliquis fortunæ bonis, facile superat, estq. ad „
uersus Germanos, & barbaros alios propugnaculum, ac „
vt ita dixerim, Romani totius obex Imperij, magnum „
indiscrimen incidit: quandoquidem obsessa ab hostibus „
nimium infestatur, & vobis negligitur eodem tempore. „
Sed quanta Imperatorem iniuria affeceritis, dicere nunc „
supercedeo; non enim id temporis sinit, vt pluribus utar, „
quod vtiq. potius acceleratum depositit vrb̄i præsidium, „
quamdiu spei aliquid reliquum manet. Vos itaq. opor- „
tere nunc duxerim suppetias Mediolanensibus in tanto „
discrimine constitutis confestim ire. Quod si longiore „
mora, & negligentia usuri erga hos estis; ipsis quidem „
accidet, vt acerbissimis pænis affecti dispereant: vobis „
verò, vt hosti Imperatoris vires prodatis. Nam prodi- „
tores iure non solùm sunt nuncupandi, qui portas ho- „
stibus patefecerint, sed longe magis qui obsessis & ami- „
citia coniunctissimis ferre dum auxilium queunt, id ta- „
men, vel periculum veriti, vel quia otium potius quam „
negotium malint, facere cunctantur. Hæc à Paulo to- „
tidem fere vertis perorata. Martinus verò & Vliares
polliciti properum auxilium, cum bona spe hominem
dimi-

dimisere, qui frustratus iterum hostem, noctu Mediolanum ingreditur, & spe venturi mox auxilij, cunctos in fide confirmat. Martinus tamen, ac cæteri, qui circa ipsum erant nulla Mediolanensem habita ratione, in segnitiem ac socordiam prorsus relapsi, haud quam se loco mouebant. Ac ut mōras excusarent, huiusmodi litteras ad Belisarium mittunt. Huc idcirco nos misisti, vt Mediolani periclitantibus nostris ope- pem, auxiliumque ferremus. Nos verò ut iusseras ad Padum vsque flumen peruenimus, quem tamen transire exercitus hic noster veretur: quandoquidem magnas Gothorum copias, & ingentem Burgundiorum multitudinem in Liguria esse accepimus, quibus cum haudquaquam bellum ex æquo nos gerere posse existimamus. Iube itaque Ioannem & Iustinum qui Aemiliano in agro, & nobis proximi sunt, cum suis copijs nobiscum id periculum subire. Hinc enim si iunctis in hostem exercitibus imus, nostra hunc cum salute aliquo afficere malo poterimus. Belisarius itaq. litteris Martini perfectis, Ioannem Iustumq. iubet, agmine citato Mediolanum contendere. Illis verò facturos se quippiam absque Narsetis autoritate negantibus, ad Narsetem epistolam dedit huiusmodi. Vniuersos Imperatoris exercitus vnum esse corpus existimato: quos si fortè, vt hominis membra, non idem sentire contigerit, sed seorsum inuicemque disiunctos gerere aliquid velle; nobis procul dubio id relinquetur, vt eorum quæ deceant quum nihil egerimus, utriques simul dispereamus. Quocirca relicta, quæ nec munimenti quippiam habet, nec Romanis nunc queat rem

vllam

villam afferre ; que magna sit momenti futura ; Ioanni
Iustinoq. imperato, confessim ut recta cum Martini,
quæ ad Padum sunt , copijs Mediolanum in hostes
contendant : Siquidem ad barbaros superandos , li-
berandamque eam Vrbem obsidione sunt suspectu-
ri , apud me nanque nullæ sunt reliquæ , quas
destinem , vires . Accedit etiam quod inutile dixe-
rim , ut apud me , si qui fortè sunt equites , Mediola-
num hinc abeant . nam , et plurimum esset tempo-
ris conternendum , & tardius longe , quam oporte-
ret , ad nos demum redirent , nec equis possent ad-
uersus hostes , ut itineris longitudine fatigatis cōsistere ,
si statim cum his esset acie configendum . Ceterum si no-
stri vna exercitus iuncti Mediolanum concederint , vti
par est , hostesque peruercent , in Aemyliam nemine
prohibente redibunt . Narseti quoque curæ erat , pe-
rinde ac Belisario res Ambrosiana , fauebatque Da-
cij pontificis ingenio simul & sanctitati , ac viri illius
causa saluam esse vrbem cupiebat , etiam si non tan-
topere ad imperij statum pertineret . Itaq. litteris ac-
ceptis , iubet absq. mora Ioannem Iustinum ad Pa-
dum excurrere , iunctisq. copijs cum eo qui ibi esset
exercitu ire ad vrbem Mediolanum liberandam obsi-
dione . Sed Ioannes in ipso gerendæ rei conatu , dum
præmittit actuaria transmittendo militi , dum capessit
iter corripitur morbo , eaque res Mediolanensium
salutem interpellauit . Spes auxilij tantum ostende-
batur , cuncta in dies erant arctiora , & fames vrge-
bat ineuitabile malum hominum vitæ , proximumque
morti . Ea tanta perhibetur fuisse , ut non solùm

Ooo con-

consumerentur quæ natura & usus in cibis damnauere, sed per extremam esuriem ad voracitatem usq. carnis humanæ descenderetur. Est in ipsius Dacij animalibus horribile dictu, materna cura tostus infans, & eodem conditus utero, qui nondum ex puerperio esset refectus. Tantus amor vitæ morituro semel animali, tanta tormenta famis, & ad explendam ingluuem auditam tam proiecta. Cum in hunc modum famelica Mediolani langueret turba, feralesq. nutritus increbrescerent, tristior adhuc ipsa fame morbus incessit, haud dubie propago famis, & ab ea calamitate pestis noua, cuius origo & facies erat huiusmodi. Primo enim destituta suis alimentis corpora, cum relinquerentur absq. sanguine, qui confecto cibo diuiditur in venas, cumq. quotidie magis extenuarentur, nec succi quicquam haberent; debilitas inde pallorq. toruus sequebatur. Obdurata postea cutis & ossibus apprefixa, sensim ex albo transibat in atrum colorem, hominesq. ceu faces exustæ, stupidum ac furiale quiddam spirabant. In eo statu, siue bruchum & mures & alia, quæ nunquam a ea mortalibus in cibum fuere, siue cadaveris partem, intemperantius manducassent, ipsa peribant satietate nec poterant exusto introrsus calore concoquere quicquid illud inferirent. Haud fallebat adsidentes muris Gothos, quæ intus conditio rerum, quæ vita obfessorum esset; Episcopumq. Dacium cuius præcipue timuerant consilia & animi robur, communis calamitate ad ultima esse redactum sciebant; hominem esse ipsum, & hominum officia fungentem stare diutius absq. ne cessarijs alimentis haud posse. Ita legatos.

tos in urbem ad principes mittunt cum mandatis hu-
iusmodi. Si dedere urbem velint, ipsos incolumes es-
se abituros, neq. iure victorię passuros quicquam. Quæ
fuerit Episcopi super deditioне sententia non peruenit
in historiam; credimus abnuisse. Mundilla paetus in-
columitatem vniuersę ciuitati, sibiq. ac suis, primò qui-
dem cætera permittebat Gotho; mox pœnitentia su-
bit animum, vocatisq. militibus, orationem habuit,
qualem in extremis rebus desperatio, & animi fortis
gignunt. Si qui mortales (inquit) vñquam fuisse, qui „
mortem honestam ponerent ante turpem vitam, atq. „
cūm possent frui breui lucis vsura per dedecus & igno- „
miniam, gloriosum exitum maluere: horum ego vos „
gerere spiritus, ac æmulari virtutem in hoc rerum no- „
strarum articulo peruelim, milites; non autem vt igna- „
ui solent pro vita gloriam pacisci. Nec sanè aliter de- „
cebat Belisarij alumnos, liberatores Occidentis, emen- „
dos tot spatia terrarum, & maris, non exigui stipen- „
dij cupidine, sed vt magnum nomen triumphato bar- „
baro domum reportaretis. Mortem omnibus ex na- „
tura æqualem, gloria apud posteros, vel obliuione „
distingui, non temere sapientiae summus adfirmauit. „
Nam hoc breue vitæ curriculum confidere, atq. morta- „
litate celeriter expleta, locum præbere subinde nascen- „
tibus alijs, communis, & prima conditio est nascendi; „
tā fortibus & strenuis quām imbellibus, & ignauis morise „
mel est statutū. Sed ignauī per cōtumelias & ludibria mul- „
tumq. hostibus irrisi, nihilominus cadent cūm turpiter „
ac ignominiose vixerint: præclarī viri, & martialia pe- „
ctora post egregium finem, æternum viuent, ac ex mor- „
O o o 2 talibus

» talibus fama , & prædicatione immortales facti per o-
 » ra futurorum hominum volitabunt . Verùm , hæc
 » ipsa , quæ de memoria & laude apud posteros , ac de
 » ventura post mortem gloria , nunc à nobis dicuntur ,
 » longinqua nimium & sera videri fortasse cuiquam po-
 » sunt ; neq. velit aliquis tanto pretio , quanti est vita , mer-
 » cari sempiternum nomen & decus . Iam igitur ad illa
 » pro se quisq. mihi acriter animum intendat , quæ dam-
 » na , quæ mala nobis parentur , si deditus vrbem , quām
 » apud Imperatorem execrandi , quām barbaris ipsis fu-
 » tui viles simus , quām incertam vitæ spem sequamur .
 » Si tot hominum millia , quot habet vrbis Mediolanum ,
 » hac deditione seruaremus , si pro magnæ huius Ecclesiæ
 » salute ac libertate subiremus iugum ; fortasse tanti fue-
 » rat , paruisse tempori , cessisse barbaro , seruitutem adif-
 » se . Sed permissa in quaslibet conditiones vrbē , non
 » fecus atq. si capta per vim foret , sœuet hic hostis o-
 » dio , & ira , & libidine ; nos erimus , vt ad flagitium , sic
 » ad cædem primi , tantæq. multitudinis sanguinem vnā
 » cum barbaro videbimur hausisse . Quamobrem ita cen-
 » seo ; dum spiritus , & vires , & arma supersunt , audendū
 » aliquid esse tentandamq. fortunam , ne inulti pecu-
 » dum instar trucidemur . Hostis nunc agit incautus , &
 » securus disiecta , & soluta sunt omnia : Sumamus igi-
 » tur arma cuneoq. rumpamus in castra viam , & magna
 » virtute necessitatem hæc vltimam ornemus . Aut enim
 » exitus erit melior quām speramus , aut si Mars dubita-
 » bit , honestum vtiq. nostris malis exitum inueniemus .
 Hæc vbi Mundilla est locutus , nemini consilium eius pla-
 cebat , authoremq. tam abruptæ sententiae consensu sū-
 mul

mul omnis aspernati, Theodiberto dedendam esse vr-
bem censem. Et ille cum iactatis vtrinque conditioni-
bus, pacato similis discessisset, atque ciues interea, tan-
quam in media pace, omnia militiae remisissent munia;
nec stationes ante portas, nec vigiliæ, nec tormenta in
murus locarentur; quarta noctis vigilia, quod gratissi-
mæ quietis est tempus, conuersis repente signis irru-
pit, ac per omnia, quæ victorum fert libido, saeuijt ut
in captos. Nescitur autem, quænam barbaro tantæ sæ-
uitiæ fuerit causa, qui tantus æstus irarum, ut
quæ fuerant nobilitatura victoriam, ac debuerant tan-
quam in aliena venienti munus esse gratissimum;
vrbs pulcherrima, diues artium populus, inclita te-
cta, moenia, templa, ferax ager, hæc igitur omnia
perdiderit odio, quod ipsa quidem dedititia turba non-
dum meruerat; res autem inanimes ac mutæ nullo mo-
do potuere mereri. Versa igitur in securitatem, & quasi
post tantos labores, vigiliasq. sopita ciuitate, ingredi-
tur cum irato duce nocturna multitudo auida cædis &
præde, propera manibus, armis instructa; statimq. ple-
na vrbs hostium fuit. Occupant primò arcem cæsoq.
præsidio, Mundillam coniunct in vincula, tanquam
seruantes in otium, & pœnam; paucos, quorum præci-
pue metus & flagitium obstat illius consilio, receptos
sibi socios asciscunt. Ea prima, & vnica fuit irruentiæ
cura; cætera per iram, & libidinem, & furorem agun-
tur, ut noctis obscuro, sic absque discrimine. Per o-
stia, per tecta, per fenestras, irrumunt ædes; alios
excitatos fragore protinus, & tumultu, semi somnes in-
teficiunt; præcipitauere se in vias alijs, alijs qui surda de-
cuma-

cumbebant quiete, mors continuata ferme sine sensu: Fit cædes ingens; expletur argento miles, quod in ob-
sidione ac fame contempserat auaritia & cumularat,
nullo iam vsu. Sed non eius mali pessimum fuere, vul-
nera, sanguis, rapinæ, longe maius pudicitię damnum
fuit. Nam barbari, queis neq. metus ex Deo, neque
pudor ex natura, quicquid ætate, vel sexu, vel for-
ma, interim placuerat, libidini suæ prædam faciebant.
Et debuit esse atrox ac horribile visu, cùm ante cruen-
ta virorum & parentum ora, vxor, proles, dedecus ul-
timum paterentur, eosq. funebres ludos dari sibi mo-
rientes viderent. Non tamen ea stupra vel adulteria
viuendi pretium erant, quippe cùm ab alijs de honestata
corpora, mox ferirent alij, vel etiam eadem illico ma-
nus, idem adulter, expleta libidine, vel in furorem
versa trucidaret. Pari licentia sacrarum virginum cœ-
tus foedauere claustris effractis, ac ibi tanto immittior
fuit luxuria, quanto pertinacius illæ decus muliebre
tuebantur. Per domos hæc, per monasteria quoq. &
templa, prout tulerat impetus; prout opportunitas
inuitarat. Vbi verò strepitū & discursu, & vlvlatu, &
clamore tota ciuitas excitata in armis fuit, non se-
gniter ab nostra quoque parte est dimicatum, & viæ
manarunt sanguine. Sed numero, & spe, & animis
præsentibus, & captiuę iam vrbis imagine hostes lupe-
rabant, quodq. miserrimum erat, incertis inter tene-
bras icibus fese Mediolanenses ob trepidationem fige-
bant cùm barbari ex destinato rem gererent. Dies a-
peruit errorem, simul captiuitatem, & finem rerum, &
plena cuncta hostium ostendit. Inhorruere superstites
cladis,

cladis, & cum omisso ferro misericordiam victoris ex-
pectarent ad trecenta millia sunt interficti; vrbs diruta
& incensa . Dacius Episcopus elapsus fuga , siue odio
Catholici nominis cie&tus (vtrumque enim traditur)
Constantinopolim ad Imperatorem tetendit . In eo iti-
nere Corinthum appulsus deducitur fortè inhospitalem
in domum, quæ lemurum terroribus , & faunorum ludi-
brijs infesta relinquebatur solitudini ac squallori , neq.
quisquam eò inferre pedem audebat . Ceterum , id
non constat, dederintne Corinthij tale domicilium arte
quadam , & dolo malo, scilicet ut sacro sic illuderent
capiti, an verò vulgata virieius fama spem fecerit, pur-
gatum iri domum , si eò sanctus immigraret . Certè pur-
gata diuinitus , & ab impura seruitute vindicata est , at-
tonitaq. Dacij verbo ac nutu feralis cohors vim cælestē
trepida fuga est testata . Multa nocte , cùm Dacius ,
quiq. cum eo erant , solita quiete curarent corpora ,
spiritus irrequieti & impuri terrificas ad vices de more
consurgunt implentq. omnia tremendo sonitu ac tu-
multu . quatere cathenas alius alia in parte , alius mu-
gire foedum, & quasi præcipire curru eosdem iterare cur-
sus, quidam etiam assultare lectulis , & detraccta lodice
corporibus illudere . Tota domo hæc , & per cuncta cu-
bilia fieri & audiri . Quà verò Dacius ipse decumbe-
bat, tanto magis fremere ac lasciuire turba, quanto ma-
gis castimonia & sanctitate viri, æternisq. aduersus om-
nem pudicitiam odijs , grex ille contaminatus excita-
retur . Contactum tamen , & reliqua ludibria reueren-
tia sacri capitis atq. terror injectus prohibebat . Enim
verò Dacius primos ad fragores exspectatus, postquam

ICED,

rem, sicuti erat, coniectauit, increpat securus animis thanam impurum, & haud sine ratione brutorum indu- tum figura & habitu, bruta quandoquidem superbia meritus fuisset, ut procul à beatorum sedibus aman- daretur. Disiecit ac fugauit ea vox Dæmonas, ædesq; redditę suę quieti pristinam celebritatem, & frequen- tiam recepere; nec deinde ultra diri tumultus exauditi, terrificęq; species ex ea nocte nusquam oculis obuersa- ræ. Dacius inde pergens itinere destinato Constan- tinopolim peruenit, iterumque suppetijs impetratis in urbem quidem misit auxilia, ipse vero substituit Con- stantinopoli propter Concilium, in quo summa Ca- tholicæ veritatis agebatur, atq; post Pontificem Ma- ximum, exulis Archiepiscopi præcipuæ partes fuere. Tota res est nobis paulo altius explicanda. Theodorus hæreticorum princeps toties antea petitam irrito cona- tu Christi Diuinitatem violare nouis maledictis aggres- sus, vniuerso turbabat Oriente, Pontificemq; Vigilium, & ipsa decreta Concilij Chalcedonensis insecatabantur. Ea si potuisset infirmare, minime dubium erat, quin sa- cra, & profana omnia permisceretur, atq; sequeretur te- terrima rerum perturbatio, & ruina. Nam illa Chal- cedonensi a decreta, Catholicæ fidei summam, & con- trouersa de religione capita grauissimis definita senten- tijs continebant, neq; sinebant amplius in dubium vo- cari. Prorsus ea formula non secus atq; unico firma- mento ac præsidio, tantis olim iactata contentionibus veritas nitebatur, & Catholicarum partium homines, quandocunq; solicitarentur ab improbis, confidenter ac expedite ad Chalcedonensia placita finitioremq; cō- frigiebant.

fugiebant. Hæretici contra , & quisquis nondum rete-
cta prauitate ac veneno coqueret tacitus pestifera dog-
mata , primum omnium habebant labefactare Chalce-
donensem authoritatem. Id si processisset , si modico
nutassent motu capita Concilij , vel simul omnia , vel
singula separatim , haud erat dubium , quin tota si-
mul Catholica fides euerteretur . Itaq. Theodorus cor-
rupto in suam sententiam Imperatore Iustiniano nouā
quandam & ab Chalcedonensi penitus formula dissen-
tientem instituerat religionis ac fidei formam , eaq. vt
in Ecclesiæ totius instituta , & consuetudinem induce-
retur , mirum quantum adlaborabat . Et gratia nite-
bantur , & denunciatione periculorum , & vniuersa
demum fortunæ suæ mole , quò socios quamplurimos
sui conatus haberent . Ex eo factiones & studia mira
perturbatione ac tumultu , dum alij spem & metum ,
& principem ipsum sequuntur , alijs incorrupta fides ,
& veritas , & Deus , & Catholica res omnium humana-
rum rerum momento , & obiecta specie potior & an-
tiquior habetur . Orientales Episcopi ferme stabant
ab Iustiniano , partim illius autoritate commoti , par-
tim sectæ principes atq. instigatores vltro . Puram in-
corruptamq. fidem Occidentales obtinebant , & pro
Chalcedonensis authoritate Concilij parati erant oc-
cumbere , si terrorem , & minas , & solita principibus Iu-
stinianus intentaret . Ita distractis & affectis animis Cō-
cilium indicitur , velut componendæ rei , sed illa non
dubia spes deteriori suberat parti , fore , vt sani , &
integri , tot aduersantia suffragia , & consensum , & ip-
sum haudquam sustinere principem possent . Cum

Ppp ea

ea spe ac destinatione, præceptoq. in hunc modum
Concilij totius euentu, Iustinianus Vigilium exciuit ab
vrbe Roma, scilicet, vt illius quoq. interposita corrup-
tela, & pauore, firmaret dogmata, quæ moliretur, neq.
posset vnquam in posterum Summi Pontificis authori-
tate sancita fides immutari. Vigilius enim uero pro Ca-
tholica re semper impavidus, & appetens laborum,
quos iniungeret ea cura, se commisit itineri, atq. Con-
stantinopolim ire contendit. In Siciliam delatus ob-
uios habuit ex vniuerso conuētu Dacium Archiepisco-
pum Mediolanensem, & Legatum Antiocheni Patriar-
chæ. Hi postquam ostendere Pontifici, quid pararetur,
& quid cum suo grege Iustinianus agitaret; dissoluendæ
Catholicæ religionis tentationem latere sub Concilij
nomine ac titulo, quæue Chalcedone sint olim consti-
tuta, ea Byzantino conuentu rescissum atq. conuulsum
iri; confessim ille cum Dacio, cuius prudentiam, & re-
rum usum admirabatur, exquirit quænam expediendæ
rei potissima sit ratio & via. Nihil addubitatum, quo
minus Apostolico iussu vetaretur Imperator de religio-
ne statuere quicquam, aut immutare. Cum eo man-
dato litteræ Constantinopolim sunt missæ. Postea cum
Dacio Vigilius in Regiam venit, ibiq. conflictatus omni-
rerum varietate propugnatorem acerrimum, & partici-
pem omnium consiliorum habuit Mediolanensem. Ita,
Dacus, cùm & Pontificem Maximum ab improborum
infectione, & Catholicam religionem ab multiplici
defendisset fraude, Mediolanum incolmis reuenit. Sed
urgebat seni um, neq. diu postea vixit hoc mortalispi-
ritu. Anno quingentesimo quinquagesimo sexto ad
æterna

eterna bona vocatus in cælum atq. situs in D. Victoris este, solito erga sanctos honore celebratur. Extat ad eum Epistola Cassiodori de frumento in famelicā plebem ex regijs horreis diuidendo, cum hac inscriptione. CASSIODORVS. DACIO ARCHIEP. MED. SANCTISSIMO. scilicet inde quoq. magnum viri nomē inclitamq. vitam facilē coniectaueris. Cæterūm hoste depulso, & refecta post excidium à fundamentis vrbe, reuocatisq. multis qui superstites patriæ in vicinas vrbes erant dilapsi, atq. subolescente in dies prole; breui res Mediolanensis est renata. Tanta post cladem indulgentia Numinis fuit. Sed erat omnino tristis atq. miseranda species, cùm vrbis antea superba mœnibus altis, ac ædificiorum mole, propemodumq. gentium vna, templis & cæremonijs, & augustissimo cultu pro dignitate superos venerata, nunc humili vallo, concreticijs domibus, temporarijsq. facellis fumans adhuc & vſtulata conspiceretur. Rari Sacerdotes, aut obscuri, & noui, torrida ciuium ora, ciuitas infrequens, nec nisi post lentos progressus adulta. Inter hæc nouarum rerum primordia, sibi ducem creauere, vetus regimen iam inde à Stilichonis ætate, nec vnquam per Gothica tempora totq. varios dominatus intermissū. Is Magistratus tenerę vrbis ac infirmæ funestus fuit, quodq. nomen Imperij, constituendis rebus, & firmandis vulgo crediderant fore, sub eius tutela rursus ad extrema sunt redacti. Nam Theodiberti frater Eribertus nomine cùm aliquantum temporis carpendo & vrgendo resurgentem vrbem frustra consumpsisset, quasi lenta expeditionis tædio colligit yasa, Duccemq. Mc-

P pp 2 diola-

diolanensium euocari ad colloquium iubet. Progeditur ille: Gallus orditur; fessum sibi militem laboribus & diuturnitate belli profectionem efflagitare; se quoq. saturum prædæ simul & gloriæ reputare bellorum incerta, cogitare quietem, velle domum abire, cupere antequam discedat, contemplari nouæ vibis faciem, calcare maiorum vestigia; nanq. Mediolanenses oriundos à Gallis, & se, quanquam iure belli, hostilia tentare fuerit coactus, consanguineum tamen, & fratrem ciuitatis esse; proinde postulare, ut admitteretur. Poterant vetera simul, & recentia mala Ducem admonere, ut hæc verba suspectaret; sed stolidus & vacors animus, cuiusmodi semper homines haud dubie superum ira, publicis rebus obrepunt, facile in fraudem est inductus. Portæ aperiuntur hosti, ducitur per omnia nouæ vrbis diuerticula proditor externus à proditore citæ. Miratur ille tam citò surrexisse urbem ex ruinis, laudat noua Mediolanensium incunabula & natales; simul notat oculis infensis, quid validi, quid muniti, quid etiam oportuni, & aperti vrbis habeat, qua maxime parte facilis ac expedita esse possit irruptio. Placuit locus iuxta D. Michaelis ædem, quæ modicæ substructionis murus, leui negotio perfodi posset aut transcendì. Cum ea destinatione reuersus in castra nocte insequenti succedit murum, ac inuento statim aditu, nihilo mitior fratre fæuit igne, ferro, cæterisq. captaram vrbium iniurijs; ea Gallica fides fuit, quam mirifica res & causus insecurus docuit, armis & virtute, non dolis ac proditione gerenda bella, siquidem ullum unquam geri bellum oporteat. Cùm enim postero die soporifese

se

se dedisset Eribertus , dira quies hominem terruit vici-
nam interminata necem . Ambrosius supra caput dor-
mientis quatere ac intentare flagellum visus , tremen-
da intonuit voce . Dabis pœnas improbe , qui meam
vrbem & mea templa ciuesq. meos violare ausus fuisti :
Non multò deinde postea meridianem in sylua , puer
qui sicutum eius gerebat (Atio fuisse nomen ferunt)
adactis per gutturis aperta spinis necauit ; indeq. Ma-
laspina hodie loco cognomen manet . Per tot cala-
mitates , atq. tam infestum in vrbe domicilium seces-
sere Sacerdotes ad Nuculam , Episcopo Vitali , quem
Pelagius in Dacij locum suffecerat . Vitalis hic authorem
honoris sui grauiter offendit , meritusq. est vt vincu-
lis & carcere dignus videretur , casu , quem memora-
bo . Macedonio mortuo , vacabat Aquileiensis Ec-
clesia dignatione ac nomine tunc inter primas . Post
varia competitorum studia , & contentiones in eum lo-
cum procerum voluntate Paulinus quidam eligitur :
Nobilitas huic , & litteræ , vita quoq. & mores , ad eam
formam , vt non male collocatum esse pontificatum vul-
go prudentes homines existimarent . Vna res animos
solicitabat , quominus sincero gaudio fruerentur , quod
nimirum Pontifici Maximo praeue discors idem , illius
penitus autoritatem adsperrnaretur . verùm id sanari
ac tolli posse malum arbitrabantur , vel ipsius lenitate
Pelagij , qui priuatas simultates publicis obstatre com-
modis nollet , vel pœnitentia & moderatione Paulini ,
quem noua dignitas , & sacer bonos admoneret pietatis
erga sacrorum principem , à quo in id fastigij euectus
foret . Hæc vulgò opinabantur ac differebant . Mox
apparuit

apparuit altius descendisse in animum iras, & offendio-
nem, & quicquid illud alienationi ac discordiae præ-
buisset semina. Quippe cùm iam dies instaret, quo die
Paulinum a Pontifice Maximo, vel ab eo quem ipse no-
minasset, oporteret ritè consecrari, nimium iam memor
antiqui certaminis, & veteris offendæ nouus Episcopus,
abnuit apicem suum subiçere Pontifici, & a Vitale Me-
diolanensem Antistite initiari præoptauit. Vetus erat
institutum iam inde à Barnaba, & Marco, vt Mediola-
nensis Archiepiscopus Aquileiensem Patriarcham, atq.
hunc ille vicissim initiare posset. Itaq. Vitalis à Paulino
super ea consecratione appellatus, usurpandi iuris cau-
sa, vti credere fas est, non quo per Pelagij dedecus, &
iniuriam gratificaretur Aquileiensi, suscepit munus, &
ritè hominem initiauit. Confestim id fama Pontifici
Maximo nuntiat Romam, & ille Paulini contumaciam
detestatus, Vitalem simul neq. rectè, neq. ordine fecisse
iudicauit, qui suspiciosissimo illo tempore cæremoniā
obijsset, qua Paulinus eludere ac defugere supremam
Apostolicam autoritatem esset conatus. Nam si ve-
tera, & exoleta priuilegia reuocare animus fuerit, de-
buisse per litteras saltem petere facultatem eam, neq.
socium fieri Paulino proteruitatis & insanię. Nunc in
contumeliam Apostolici nominis ea initia idq. sacrum
celebratum videri, neq. reliquum esse iam aliud, quám
vt facta conspiratione, Mediolanensis, & Aquileiensis
infestis eant animis Romam, & abrogare sibi summum
honorem conentur. Hæc & alia Pontifex iratus expo-
stulando & fremendo, cùm nequaquam satis expleuis-
set dolorem, processit demum eò, vt grauiter in utruq.
esse

esse animaduertendum putaret. Itaq. scribit ad Nar-
setem (is tunc pro Cesarē summum in Italia magistratū
obtinebat) vti constrictos vtrumq. vinculis, & quam
arctissima custodia cinctos, Vitalem & Paulinum sine
mora Romam mittat, neq. nos eius rei finem vltra com-
pertum habemus. Hanc Paulini consecrationem aliæ
litteræ, in Honoratum, qui Auxano successit, referunt,
ipsaq. quotidiani precum officij lectio sic habet, haud
parua in Episcopum illum iniuria, & probro. Nunquā
enim ille, vti sanctus & Apostolicæ Sedi Maxime addi-
ctus fuit, commisisset, vt interposita offensione, sese ne-
gotio tanti discriminis immiseret, atq. quodammo-
do aleret iurgia & lites. Potuit hoc in Vitalem cadere,
qui rerum humanarum vsu, & vulgari prudentia, ma-
gis quām cœlesti spiritu negotia, & res omneis ponde-
raret; Honorato tale quippiam admittere fuisset hor-
ror, eximiæ videlicet religionis, & haud dubie contem-
ptu rerum humanarum in cœlum eminenti. Cæterum
initium, & altior causa dissensioni fuisse videntur tria.
Concilij Chalcedonensis capita, de quibus inter Ca-
tholicos ambigebatur, quæ contentio in tantum ex-
arsit, vt Episcopi pleriq. cum ipso Pontifice Maximo
gererent inimicitias, & ab eius authoritate penitus ab-
horrerent. Scilicet imbutæ mentes certamine, sicut
assoleat, omnem iniuriæ locum quærebant; ac ipsi quoq.
clarissimarum vrbium populi iam erant in huiusmodi
certaminis parte. Nam cùm erga Pontificem Maxi-
mum caritate ac studio Episcopos auersarentur, quos
esse illi inimicos viderent, rursus Episcopi cum popu-
laribus certabant odio & temeritate, & omnibus rebus,
quas.

quas ira & exulcerati dolor animi suppeditare ad contumeliam solet. Sed ea calamitas, idq. miserable certamen, magis proprium cæterarum Italæ ciuitatum fuit; Mediolanenses eius mali contagione caruere. Neq. enim, aut vltra anni spatium discors Pelagio Vitalis fuit, aut quandiu mansit discordia, ciues Episcopum sunt auersati. Argumentum ex eo petitur, quòd Pelagius, cùm iterum ac tertio scriberet Narseti de coercenda rebellium Episcoporum temeritate, notauit Aquileiensem, de Vitali nullam addidit litteram, ipsum vtiq. nominatim appellaturus, si quæ cæteras vrbes Episcoposq. rabies haberet, ea iam laboraremus. Vitalis reconciliata gratia cum Pontifice Maximo, quadriennium adhuc in suo munere superstes fuit, non ille quidem sanctorum additus numero; constans tamen & seuerus, & nimio plus acer ad exequendum.

Lapsus est in eius ætate Petrus Galesinius, dum per Longobardica mala conflictatum refert. Neq. enim ea gens adhuc Italiam tentarat Biennio post irrupere,

